15, C, 5

12751/B

C.XVI. a 18

151015

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30521361

Costa 4

6674

DE AMBIGUE PROLATIS IN JUDICIUM CRIMINATIONIBUS CONSULTATIONES Phyſico – Medicæ NONNULLÆ.

Matthei Bazzanii

BONONIÆ MDCCXLII.

Ex Typographia D. Thomæ Aquinatis.

Superiorum Permiſſu.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

TYPOGRAPHUS
LECTORI BENEVOLO.

CUm ex quattuor ſequentibus conſultationum phyſico-medicarum exemplis priora duo jampridem in lucem prodiiſſent, earumque modico exhauſto numero jam nulla penes typographum ſupereſſent, placuit ingenuis phyſicæ, medicæque diſciplinæ cultoribus Joanni Mariæ Pigatti Vicetino, & Joſeph Peſenti Bergomenſi, mutui amoris ac ſtudii, quo erga optimas artes affecti ſunt, declarandi cauſa, ut ea rurſum prælo commiſſa, & una cum duobus aliis, quæ nondum edita fuerant, excuſa publici juris fierent. Qua in re illi quidem ſtudioſis earumdem diſciplinarum adoleſcentibus prodeſſe voluerunt, exemplis id genus ad imitandum propoſitis; potiſſime vero ad eadem cumulatius augenda & copulanda Medicorum animos conſultius allicere. Nam cum ſæpenumero incidere in controverſias judiciales animadverterint ſuſpiciones, & querimonias latentium criminum, ſtupri, abortus, veneficii, necis, inexpleti & irriti in conjugio concubitus, quæ implicitas & obſcuras veri, & non veri quæſtiones continent, ab oraculis, & reſponſis Medicorum explanandas, & diſſolvendas; vix dici poſſe arbitrati ſunt, quantum utilitatis, commoditatiſque allatura eſſent elaborata in ſingulis iis generi-

bus conſultationum exempla, utrolibet ſermone, ſive latino, ſive italico conſcripta, ſi in unum volumen ſcite diſpoſita, ac diſtributa ad omnes eventus parata haberentur. Itaque ob hanc cauſam laborandum non fuit, ut hæ conſultationes, annuentibus earum auctoribus, ederentur, eamdem nimirum, quam in prima earum editione habuerunt, voluntatem retinentibus, ut ſcilicet & eaſdem edi petentium votis gratificarentur, & ſingularia ingenii, doctrinæque ſtudia in eiſdem elucubrandis ab ipſis adhibita ad communem diſcentium utilitatem conferrent. Conſultationum vero ordo temporibus potius, quibus editæ ſunt, quam quibus conſcriptæ, reſpondens ſervatus eſt.

IN-

INDEX CONSULTATIONUM.

I. *De Infantis nece accuſata Mater.*) Anno MDCCXXXVI.

II. *Pro Maria Vanti in capitis judicium vocata.*)

III. *Pro Viro de intentato Uxori veneficio accuſato.* Anno MDCCXXXIX.

IV. *Parere ſopra di un bambino trovato morto col bellico ſciolto dentro un mucchio di rottami di fabbriche.* nell' Anno MDCCXII.

AUCTORES.

Primæ, tertiæ, & quartæ MATTHÆUS BAZZANI.
Secundæ, de eodem argumento cum prima, JOSEPH POZZI JACOBI FILIUS.

Qui & Philoſophiæ, ac Medicinæ Doctores Collegiati, & in Bononienſi Univerſitate Lectores publici, & Anatomes Profeſſores.

Vidit

Vidit D. Joſeph Ruſca Clericus Regularis Sancti Pauli, in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius, pro Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIV. Archiepiſcopo Bononiæ.

Die 28. *Aprilis* 1742.

IMPRIMATUR.

Fr. Bonaventura Maria Groſſi Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiæ.

De Infantis nece accuſata Mater.

ARGUMENTUM.

Famula quædam, cui nomen Maria Vanti, ab amatore comprimitur. Prægnans fit. Cum jam appropinquaſſet partus, doloribuſque maximis vexaretur, proſternitur prona in pavimentum cubiculi inferioris domus. Nox erat: ſæviebat hyems: carebat omni auxilio, & lumine: ſola in tenebris verſabatur. Poſt magnos labores, proni corporis motu periculoſiſſimo, fœtum exprimit in pavimentum. Marem, an fœminam neſcit. Manibus fœtum pertentans, motus neſcio quos obſcure percipit. Ne vagiat timens, cingulo veſtis avulſo, infantis collum circumplicat, & in proximam latrinam dejicit: quo etiam ſecundas ſeparatim a fœtu editas deturbat. Quæſitores accurrunt cum teſtibus. Cadavere eruto, abſterſis ſordibus, fæmellam agnoſcunt ſuis expletam numeris, partibus, unguiculis, capillis. Umbilicum pendulum, & ſolutum vident: collum ſub laqueo ſulcatum, lividum, in crepidine ſulci tumidum: labia liventia, & tumida: apicem linguæ pariter lividum tumidumque, tranſverſi ſemidigiti craſsitudine extra os. Aperto thorace, cor integrum cernunt, pulmones incorruptos, & puros, factoque aquæ periculo, natantes in aqua. De filiolæ ſuæ nece mater accuſatur.

Pro Matre adverſus accuſatorem.

RE jam conſtituta, ad quæſtionem accedimus. Quæſtio igitur eſt. Necavit filiolam mater, an fatalis neceſſitas interemit? Necavit, clamitat accuſator, necavit filiolam mater; nam vivam in lucem edidit; editam laqueo ſtrangulavit.

Ego

Ego vero in obſcura, & ardua re, in qua mortis quæſtio in caput alterius ponitur, conſideratam tarditatem requiro; præcipitem feſtinationem rejicio. Statuo enim hanc controverſiam in diſpari cauſarum genere momentis rationum longe diſparibus abundare; ut ei quidem parti patrocinari æquiſſimum putem, quæ clementiæ, pietatiſque officiis reæ calamitatem lenire, non quæ criminationum, pœnarumque acerbitate ream conatur evertere. Necavit filiam mater? Convince ſi potes. Vivam, inquis, peperit. Quomodo? quia ultro id mater faſſa eſt: filiolæ enim motum edenti laqueum ſe injeciſſe dixit; eo injecto, nullum, brevi poſt, motum in ea deprehendiſſe. Clariſſima deinde inchoatæ in ipſa reſpirationis indicia pulmones in aqua natando præbuerunt. Præterea corpore numeris omnibus abſoluto potiebatur. Præcipua vitæ organa, pulmones & cor, inviolata & integra viſebantur. Quamobrem nefaria mater flagitiis tegumenta quærens, prolem crudeliſſima morte mactavit. Prodidit autem ſcelus lingua ſecundum apicem ex cadaveris ore paulum ejecta: declaraverunt labia tumida, & liventia: collum in circuitu vinculi tumidum, ſulcatum, & lividum patefecit. Hiſne rationibus accuſator miſerrimam matrem indigniſſimæ necis condemnat? Si ex furibundæ mentis conſiliis, non ex facti veritate æſtimanda nex eſſet, criminatio locum habere poſſet. Nam conſilio necis afferendæ carere non potuit, quæ filiæ collum laqueo circumdare cogitavit; quamquam turpitudinis celandæ cupiditate potius, quam perdendæ ſobolis voluntate: charitas enim liberorum parentibus ſic natura commendata eſt, ut ſi quando eos odiſſe, aut necaſſe liberos conſtet, id caſu potius, & deſperatione quadam, quam conſilio, & voluntate feciſſe videantur. Verum non quæritur hoc loco muliebris cogitationis ſive deſperatio, ſive perverſitas. Controverſiæ caput eſt, utrum filiæ reipſa vivæ, an mortuæ laqueum mater injecerit. Etenim ſi vivæ; noverca infamis & ferrea, non mater vocanda erit: ſin mortuæ; non occidit filiam, ſed occiſam fatali neceſſitate ſuſcepit.

Ego quidem aperte dicam quod ſentio. Laboravit

par-

partus hujus matris iis caſibus, & infortuniis, ut fatalis ad interitum filiæ fuiſſe videatur. Quid enim eo laborioſius, quid periculoſius fingi, aut dici poteſt? Caruit rebus neceſſariis, caruit omnis auxilii & ſolatii ſpe, ſummorumque diſcriminum frequentia redundavit. Cæteræ matres, cum partus imminet, juſta collocatione in cubili, aut ſella ad pariendum componuntur: locus eligitur bene munitus, & purus: arcentur injuriæ aeris præſertim frigidi: adſunt mulieres ſociæ, comiteſque laborum, quæ puerperam fulciunt, recreant, fovent, confirmant: aſſidet obſtetrix, quæ prodeuntem fœtum humaniter excipit, tutatur a lapſu, linteolo mundo, & calido operit; tum prehenſo umbilicali funiculo ſecundas patienter extrahit, quo demum reciſo, partem, quæ juxta pueri ventrem eſt, vinculo obſtringit. Quid huic miſeræ matri commune cum cæteris? Huic in horrida tempeſtate, in caligine mediæ noctis, in ſolitudine cubiculi tenebricoſi, & frigidi, auxiliis omnibus deſtitutæ, lectiſternii vicem præſtat humus, in quam belluarum ſimilitudine provoluta cubitat prono ventre, ſcilicet incommodiſſima collocatione, quam apertè damnavit Hippocrates dicens: *lectum jubeto ad caput ſublimem habere, ut declivis ſit in pedes, animadverſione habita, ne prona ſit homo ipſa* (*a*). Dici non poteſt quam gravia, & læthalia ſint ejuſce collocationis incommoda. Nam ut præteream retundi ab ea, & deludi vim, & conatum illum, quo ſibimet ipſi molitur exitum fœtus in partu, uſque adeo violentis, & crebris ad terram ictibus puerperæ venter objicitur, ut cum hæc in atrocitate dolorum irrequieta, & impotens ſui circumagatur, calcitret, furat; tunc etiam graviſſime laboret in utero fętus; in partu vero compreſſus inter pavimentum, & corpus matris facillime ſuffocetur, & pereat. *Puer*, inquit Hippocrates, *cum partus inſtat, laborare incipit, & in periculum venire, cum in utero vertitur* (*b*). Periculi magnitudinem innuunt illa verba, *cum in utero vertitur*; plena quippe aleæ, & periculi

eſt

(*a*) Hipp. lib. 1. de Morb. mul. ex verſione Marinelli p. 107.

(b) Hipp. de oct. part. ex verſione Foeſii p. 258. n. 30.

eſt converſio fœtus in utero. Licet enim magnam ſpem exitus fortunati faciat in partus diſcrimine rectus infantis ſitus, qui plerumque talis eſt, cum dorſo vertebris lumborum matris obverſo, cruribus decuſſatis, manibus ad genua poſitis, naſo pugnis interjecto, infans ſedet (*a*); momento tamen ſæpe omnis bona ſpes excidit, cum & recti ſitus in pravum perquam facilis mutatio ſit, & ad rectum ea ſe inſperato adjungant, quæ puerum de vitæ ſtatu, antequam naſcatur, dejiciunt.

Ego ne ſingula perſequar (brevitatis enim amore multa prætereunda ſunt) nunc illud expendam, quod ad propoſitam controverſiam pertinet, eumque reſpicit caſum, in quo etſi recte poſitus infans, ſic tamen convertitur, ut a funiculo umbilicali circa collum irretitus ad uteri oſtium accedat. Quod cum ita fit (fit autem non raro) minuitur funiculi longitudo, contrahiturque, qui propterea fœtui obſiſtens, dum partus imminet, ne in lucem facile egrediatur, fœtum ipſum in articulo ortus ſui ſuffocat, & perimit. Funeſti hujuſce caſus certiores nos fecit Hippocrates in libro de octimeſtri partu: (*b*) *Etenim umbilici*, inquit ipſe, *jam ſæpe circa colla implicati conſpecti ſunt*. Implicari autem ob pueri converſiones, Hippocratis mentem explicans notavit claris. Zvvingerus (*c*), quia cum circumagatur funiculus umbilicalis in utero, dum puer volvitur, idcirco ſæpius evenit cervicem, aut jugulum ab eo intercipi, & irretiri: tunc vero & matrem in partu laborare, *& puerum aut interire, aut difficilius exire* (*d*). Sicuti vero implicationibus anſam dat antedicta funiculi productioris longitudo, & pueri converſio, ita converſionibus ſtimulos admovet labor moleſtus, & operoſus matris, curæ animi graviores, dolorum aſperiorum motus, frigoris matrem, & puerum convellentis cruciatus importuni. Quadruplici gyro collum vincientis funiculi exemplum propoſuit

(*a*) Henric. Deventer. Oper. Chirur. nov. lum. cap. 23. p. 75.

(*b*) Hipp. l. c.

(*c*) Zvvinger. in not. Sup. Hipp. apud Foeſium pag. 319.

(*d*) Hipp. de octim. part. pag. 258. n. 30.

ſuit Hobokenius (*a*). *Ob vaſa longiora nimium collum infantis ambientia ſtrangulari novi*, inquit Bauhinus (*b*). Pueros ab eodem funiculo ſtrangulante lividos, vix ſpiritum trahentes, & pene mortuos commemorant Rodericus a Caſtro (*c*), Bartholinus (*d*), aliique illuſtres viri. Bene autem cum puerulis iis actum eſt, quod provida & ſolers manus circuitus orbium evolvens præſto fuit: niſi enim quamprimum occurritur, mors præ foribus eſt, momentoque ſtrangulantur pueri, uti notavit Helvigius (*e*). Nec deeſt rationum copia. Primum congeries umbilicalium vaſorum, Scrochio narrante (*f*), ab uterina placenta naturaliter ſurſum ad caput ferri ſolet, inde ſecundum occiput deſcendendo ad pueri umbilicum contendere: quo in itinere ſi ad fauces deflectens collum circumdet, fœtum illaqueat; cumque hac ratione corripiatur, præparat illi non tam difficilem naſcendi moram, quam in partus exitu certam necem. Deinde ſic comprimuntur umbilicalia vaſa in anguſtiis viarum colli uteri, & vaginæ, ut ſublato ſanguinis circuitu (*g*), breviſſime exanimatus infans excedat è vita. Quid ſi funiculus, & infans occupentur a frigore? tanto citius ſiſtitur ſanguis, & convulſione oborta infans moritur.

Divelli autem nonnumquam, & dividi umbilicalem funiculum peritiſsimi viri fatentur; obſervatio confirmat. *Ob vaſa umbilicalia aliquando diſrupta, ubi mater brachiis ſurſum elevatis nimium ſe extendit, abortum fieri novi*: hæc Bauhinus (*h*). Frangi præcipue, cum funiculus vel ſolus, vel membro alicui circumplicatus extra pudoris ſinum prolabitur, expoſuit Deventerius (*i*). Teſtimonium Bohnii, Dionis, obſervatorumque illuſtrium profert Albertus (*k*), neque

(*a*) Hoboken. de ſec. hum. apud Mich. Alb. diſſert. med. for. p. 132.
(*b*) Gaſp. Bauh. in Epiſt. ad Hild. Cent. 2. obſerv. 50. pag. 121.
(*c*) Rod. a Caſtro. exercit. Med. 21.
(*d*) Thom. Barth. Anat. reform. lib. 1. c. 37. p. 813.
(*e*) Apud Jo. Manget. Bib. Med. pract. T. 3. l. 14. p. 845.
(*f*) Apud Jo. Manget. l. c.
(*g*) Henric. Deventer nov. lum. c. 38. p. 161. 163.
(*h*) Gaſp. Bauh. in epiſt. ad Hild. Cent. 2. obſerv. 50. p. 121.
(*i*) Deventer. l. c.
(*k*) Mich. Albert. in Med. for. p. 151. 152. 153.

que id ſemel in uno caſu diſtinguit, ſed pluribus. Aliquando enim contingit fœminas parere in locis ſolis, convelli vehementius, pedibus calcitrare, ac præ doloribus fere ad inſaniam redigi, nihil tamen vafre, nihil malitioſe agere: interim ſub iis immoderatis motibus corporis funiculum umbilicalem dirumpi. Fœtum etiam quandoque ipſum convulſiones ita corripiunt, ut dilacerato funiculo intereat in ipſo partus exitu, dilaceratum funiculum ſecum ferens. Iiſdem poſitis tanto celerius interit fœtus, quo magis compreſſis umbilicalibus vaſis, intercluditur via ſanguini, cohibentur ſpiritus animales, totuſque momento arteriarum, & cordis motus extinguitur.

Non vereor ne ad improviſas, & celeres cauſas horum eventuum revocare poſſim celeritatem fatalis interitus hujus puellæ. Quod enim fractus extiterit funiculus umbilicalis in ejus cadavere, id magnum eſse argumentum duco, cur negem laquei maleficio a matre interemptam fuiſse. Nam ſcire deſidero, quis funiculum ruperit? quo veſtigio temporis? qua ratione? Nihil me horum doces. Non rupit obſtetrix, non aliqua alia mulier, cum nulla fuerit præſens; non mater: ecquando enim de umbilicali funiculo loquuta mater? numquam; ne verbum quidem. Sola mœrebat in tenebris, ignara, rudis, impotens ſui, quæ cæci inſtar capta oculis, ſed magis animo cæca, manus jaciendo, pertentando, errando digitis, quid in illa caligine piſcaretur neſciebat. Placentam a fœtu ſeparatim edidit: prius enim hic, quam illa, in latrinam projectus fuit; quod ipſa tacite indicavit dicens: *e vi buttai anche dell' altra robba, che feci dalla natura dopo detta creatura*. Perſpicue vero, proprioque ſignificavit nomine Quæſitor; verba enim ejus ſunt: *poco lontano da detto cadaverino vi era cert' altra robba, come pezzi di ſangue &c., che in fatti era la ſeconda*. Ergo ſi propius a fœtus cadavere placentam abeſse vidit, utrum negabit, quin fœtum ab ea divulſerit violentior naturæ conatus, & impetus virtutis partum pellentis; cum & ſeparatim a fœtu placentam ediderit mater, nec umbilicalem funiculum induſtria ſolitæ artis abſciderit? Divulſit itaque violentior naturæ niſus funiculum umbilicalem in partu,

eo

eo videlicet tempore, quo vis omnium maxima ad fœtum ab utero exturbandum inſumitur: nam aliis temporibus, partu nondum inito, otiatur ea vis; expleto, finem habet. Reſtat ut qua ratione, & undenam excita ea virtus id ipſum effecerit, breviter exponamus. Cum ex dictis inferre liceat, frangi funiculum, cum ductus in orbem circa collum, breviſque redditus, matre cum fœtu correpta convulſionibus, cum doloribus partus pugnante, divellitur; nonne hujuſmodi cauſæ adfuerunt in partu hujuſce matris, quæ funiculum umbilicalem filiæ diſcerperent? Quanti, quamque acuti undique convulſionibus ciendis aculei? Sæviebat hyems: nudo, frigidiſſimoque pavimento incumbebat in ventrem mater: prodeunti ex utero puellæ defuit amica, & diligens manus, quæ offenſiones arceret, oſtium uteri, ac vaginæ tueretur a frigore. Quæ pernicies abeſt a frigore? Totum inhorreſcit corpus, contremiſcit, ſtridet dentibus, convellitur. *Frigida ſemper convulſiones provocant*, ait Hippocrates (*a*). *Frigus indurat quæ in ventre ſunt*, iterum ille (*b*). *Flatus oritur e terra, qui frigidus eſt, & ſiccus, & mortificans, indurans, & exſiccans*, (*c*) ſic denuo Hippocrates. Parum ne vero intime nervos pupugit triſtitia, metus, & afflictio animi? cujus eſt tum morſus acerrimus, cum nemo eſt, qui humanioribus dictis mentem allevet, & bona injecta ſpe a malis abducat. Si *abortum faciunt in uterum gerentibus ſpiritus, qui cum ſuſpiriis extra feruntur*, ut Hippocrates docuit (*d*): ſi *mulieres, quæ ſuſpirioſum afferunt ſpiritum, abortiunt*, ut idem paulo poſt ſubjicit (*e*), quas ſtrages in iis non faciet metus? ſub quem, dicente Tullio, ſubjicitur *pudor, terror, timor, exanimatio, conturbatio, formido* (*f*); eſt quippe metus, ut ab eodem Tullio definitur: *Opinio impendentis mali, quod intolerabile eſſe videatur* (*g*). Quam profecto mi-

(*a*) Hipp. l. de fract. p. 191. n. 37. ap. Marinel.

(*b*) Idem l. de morb. popularib. ſect. 5. p. 145.

(*c*) Idem l. de nat. pueri. In Comment. VI. p. 68.

(*d*) Hipp. l. de Coac. prædict. ſect. 2. p. 203.

(*e*) Idem l. c.

(*f*) Cicer. Tuſcul. quæſt. l. 4. p. 199.

(*g*) Idem l. c.

miſeret me hujuſce infeliciſsimæ matris! quæ verſari certe non potuit in nocte diei illius, & loci ſine magna atrocitate mœroris in animo, doloris in corpore. Cum membra extrinſecus torqueret frigus, dolores intimi ventrem pervellerent, turpitudo impendentis dedecoris formidine mentem perfunderet; non tam crudelis erat commotio nervorum illa, quam moleſtiſſimarum cogitationum æſtus, & deſperatio quædam fluctuantis quaſi in tempeſtate animi, nec parum cum amentia confligentis. Quæ ſimulatio, malitia, fraus, calliditas ſubmergi non debuit in tantis fluctibus? *Non eſt enim in noſtra poteſtate*, inquit Cicero, *fodicantibus his rebus, quas malas eſſe opinemur, diſſimulatio* (*a*). Nos invitos lacerant, vexant, in magnis diſcriminibus jocoſe verſari non ſinunt; præſertim cum & ipſa ſubierit mortis periculum mater in illis anguſtiis: tametſi fatalis neceſſitas rerum ſic tulit, ut mortem effugeret mater, filia oppeteret. Cur ita? quia ſic erat affecta, ut eam funiculus umbilicalis ejuſdem collo devinctus, in vitam egredi conantem comprimeret, cumque & ipſe ſimul comprimeretur, hinc obſtrictis faucibus, cohibito ſanguine, ſpiritibus intercluſis, vita privaret.

Ingenioſius hæc dici prima fronte videri poſſunt, quam firmius; ſed ſuperiora, unde eadem manant, firma, & certa ſunt. Nam ruptum certiſſime umbilicalem funiculum habuit cadaver filiæ: nulla manuum vi fractum fuiſſe conſtat. Teneamus autem oportet ad eum frangendum diſtractione, & violentia opus fuiſſe: nihil enim contra vim ſine vi effici poteſt. Demus etiam neceſſe eſt funiculum ob memoratas implicationes contractum, & brevem; quoniam quæ ſuapte natura longiora ſunt, difficilius adducuntur, & faciles remiſsiones habent. Quæ igitur funiculum ſciderit vis, quando, & qua ratione, mox ante dicta luculenter oſtendunt. Cum contractus, & brevis eſſet funiculus, acceſſit convulſio, dolor, commotio animi, pariendi conatus, & impetus, quorum quidem contentione vehementius adductus eſt. Cum funiculus repugnaret, pla-

(*a*) Idem Tuſc. 3. p. 186.

placenta vero firmius obſiſteret, potentior denique partus impetus ſuperavit, qui funiculum diſiecit, placentam a foetu, foetum a matre ſejunxit.

In hoc virium conflictu difficili, aſpero, in multam noctem producto, poſt magnos, & operoſos labores matris, & ut ipſa de ſe ait, *dopo un gran ſtento* (*a*); poſt valentiſſimos uteri, ac vaginæ ſe ſe contrahentis niſus, qui vel ſoli, non modo conjuncti cum cæteris læthiferis cauſis, in ortu ipſo naſcentes pueros necare valent, utrum veroſimilius eſt deceſſiſſe è vita puellam, an ex utero ſuperſtitem emerſiſſe? Deceſſiſſe mea quidem ſententia eſt, et hoc uno maxime ducor argumento. Non enim ejulavit a partu filia, nullum vagitum, nullam primam vocem emiſit. Hanc videlicet audiſſet mater verens, ne filia ejularet, & ejulatu partum proderet. Dicamus id ipſis ejuſdem matris verbis: *dubitando che zigaſſe, e che dalli zighi ſi veniſse a ſcoprire dalli miei padroni, che io avevo partorito* (*b*). Itaque ſi verebatur mater, ne filia ejularet, non ejulavit igitur filia. Sane conſentaneum hoc conſequens eſt, quod hac ratione concludo. Quia ſi ejulaſſet, cur mater vereretur cauſa non fuiſſet. Non enim ea ſuper re, quam eveniſſe jam ſcias, ſed quæ poſſit, & quam evenire nolis, verſatur metus. Neque vereri ſe ait mater, ne audiretur vox filiæ, ſed ne filia vocem emitteret, qua emiſſa partus innoteſceret. Non ejulavit igitur; etſi erat ei tamen, ſi tum vita fruebatur, magna ejulandi cauſa, & neceſſitas. Cauſam proxime dabat integra, & perfecta organorum fabrica: neceſſitatem, a dilacerato umbilicali funiculo cruciatus, frigus, pavimentum iners, & frigidum, tractatio matris afferebant. Nihil horum a filia ne unius quidem primæ vocis ſonum elicuit. Mors igitur illi jam vitam, unde omnis vox eſt, violenta celeritate detraxerat. Legitimus ergo mortuæ in partu puellæ teſtis eſt ejulatus nullus, legitimuſque idem teſtis interitus a funiculo umbilicali puellæ collum ſtrangulante producti. Nam ſi procul a faucibus abfuiſſet funiculus, aliive membro alli-

(*a*) In confeſſione facti.

(*b*) In eadem confeſſione.

alligatus, vel tantum natura brevior fuiſſet, ejulare poterat a partu filia, ſuæque prodere indicium vitæ, ſi vere viva in lucem prodiiſſet; ſtrangulante fauces funiculo, non poterat, quoniam ſtrangulatus faucium tollit omnem vocis uſum cum vita, qua demum adempta, ſola cadaveris ſpecus, inhabitabilis voci, relinquitur.

Tu modo, accuſator rigide, qui matrem criminaris homicidam filiæ, noli ſeveritate judicii ad criminis adumbrati pœnam abuti. Si ea, quæ opinaris, & dicis, probare cogitas, rationem ex proprietatibus rei deductam reddas, atque exponas neceſſe eſt. Matri exprobras crimen ſuffocatæ laqueo filiæ. Officii tui eſt noſse, & definire proprios ſuffocationum laqueo factarum effectus, & peculiaria earum ſigna a promiſcuis, & communibus diſcriminare. Hæc te a peritiſſimis obſervatoribus, reique anatomicæ, & medicæ conſultiſſimis viris, Ambroſio Paræo, Fortunato Fideli, Paulo Zacchia, aliiſque rerum uſu, & experientia graviſſimis petere, & aſſequi æquum eſt. Undenam igitur ii viri conſentaneam veritati de morte a cauſa extrinſecus ſtrangulante profecta conjecturam eliciunt? nempe ex his ſignis: ſi colli rugoſa cutis eſt; ſi ſæpe contritum eſt caput aſperæ arterię, & luxata in ſuſpenſis ſecunda cervicis vertebra; ſi tumet pectus, diſſectique pulmones ſanguinolenta, vel purulenta ſpuma referti cernuntur. *Hæc*, ſubnectit Zacchia, *maxime diſtinguunt mortem per ſtrangulationem ex vi externa laqueo, vel alia re procuratam, a morte facta ex ſuffocatione a cauſa intrinſeca* (*a*). Omnia ſunt alia fere promiſcua, nec tam maleficiorum, & criminum, quam naturalium morborum indifferentia veſtigia. Apoplexiæ familiaris eſt tumor faciei, & colli; ſpuma intra os; lingua paululum ejecta extra os, & labia: tument venæ intra caput. Epilepſiæ item, anginæ, & convulſioni eadem ſunt communia. Livore, maculis, ſuggillationibus cutem fœdant ſcorbutus, venena, maligna febris, peſtis, & verbera. Quoniam

(*a*) Paul. Zacchia quæſt. Med. leg. conſil. xix. num. 7.

niam vero hæc ſigna, licet pleriſque affectibus communia ſint, non abſunt tamen a conſuetudine ſuffocationum, quæ artificio laquei inferuntur, idcirco ea prudenter colligere decet, & cum peculiaribus ſignis conjungere; facta enim magis illuſtrant, & apertiorem judiciis viam recludunt. Paucis ea collegit clariſ. Teichmeyerus, cujus verba referre placet. Loquitur de ſuffocato infante: *In quo caſu aſpera arteria ſero, & muco ſpumoſo repleta deprehenditur, pulmones etiam livent, ob ſtagnantem in pulmonibus ſanguinem, facies, & collum in ſuffocatis omnibus quoque tumet, cum aliquali colore fuſco. Quando vero per vinculum ſtrangulatio facta fuit, linea rubra in collo conſpicitur* (*a*). Hanc lineam *circuli rubicundi* nomine appellavit clariſ. Bohnius, in primis ad ſuperiora, & e lateribus colli, cum rugoſa cute, muſculiſque ſub ea plus, minuſve ſuggillatis conſpicui (*b*). Jam tu, qui miſeram matrem necis inſimulas, age, communia & legitima ſigna conjunge, conjuncta confer cum tuis. Ubi linea in collo rubra? (nam livida quidem, ut infra dicetur, infantis ab umbilicali funiculo ſtrangulati ſuſpicionem efficit). Ubi colli rugoſa cutis? Ubi muſculi ſub ea ſugillati? Ubi aſperæ arteriæ contritum caput? Ubi pectoris tumor? Ubi ſpumeſcens mucus oris, tracheæ, pulmonum? Ubi horum livor, & vitia in ipſis ſtagnantis ſanguinis? Similitudo perit, ſi illud quod conferatur, ab eo, cui confertur, alienum eſt.

At tu quaſi diſcedens ab his ſignis, mentemque ad factum matris convertens, quandonam, inquis, filiam apprehendit mater? nonne cum illa viveret? movebatur enim filiola, eique ſe ſe moventi laqueum mater injecit, quo injecto, omnem, paulo poſt, filia motum amiſit. Abſtulit ſibi omnem defenſionem mater, ſeque manifeſti facinoris ream fecit. Ecce illius verba: *e preſala ſubito nelle mani ſentii che era viva, e dubitando che zigaſſe &c. mi ſtaccai quel pezzo di ſtringa &c. lo legai al collo &c. di tal maniera, che credo che detta creatura reſtaſſe morta, perchè*

 dopo

(*a*) Hermann. Frideric. Teichmeyer. Inſt. Med. leg. c. 24. p. 242.

(*b*) Joh. Bohn. in l. de Renunc. vuln. diſſert. de Infantic. p. 187.

dopo eſſerſi moſſa per un pochetto non la ſentii movere più [*a*]. Obſcuri, & ambigui facti hæc, non criminis aperti confeſſio eſt, quæ proinde confitenti obeſſe non debet. In criminibus æſtimandis non continuo, ſi quid nefarii ſceleris ſpeciem habet, id in capitali fraude ponendum eſt. Apertiſſima indicia luce ipſa clariora a legibus requiruntur: quia melius eſt nocentem dimittere, quam innocentem damnare. Cedo mihi hæc luce clariora ſigna, quæ puellam eo tempore vivam oſtendant. Perſpectum, inquis, id faciunt verba confitentis matris. Falleris. Verba illa ad ſummum deſignant ſenſum quempiam in matre interpretem vitæ ex motu, quem quia tractando filiam mater ſentiebat, putabat filiolam vivere. Cæterum nec ſenſus ille, nec illi percepti motus dare poterant ulla, ne exigua quidem, nedum luce clariora, in filia vitæ præſentis indicia. Quid ſine errore ſentire poterat mater verſans in denſa noctis, & oculorum caligine ad mentis cæcitatem converſa? Rebatur ſe aliquos ſentire motus, ſed an, & quales ii eſſent, ignorabat. Id ultro faſſa eſt, dicens: *non potendoli però dire che moto faceſſe, perchè ero all' oſcuro* [*b*]. Sed fuerint membrorum puellæ motus ii. Quid tum? oportebatne eo tempore illam vivere? minime hercle: oportere enim neceſſitatis eſt; nullum autem conſequens neceſſario verum eſt, ſi illud, cujus id conſequens ſit, poſſit falſum eſſe. Experientia teſtis eſt, pleraque animalia, recens mortua, aliquandiu aliquos motus edere. Horas, & dies moventur ranæ exſecto capite, corde avulſo, detracto cortice: moventur etiam viperæ, & viperarum fruſta. Quot, qualeſque motus, & ſaltus edunt vituli noviſſime jugulati? Homines ipſi recens interfecti, atque in patibulis capite deminuti, & vere mortui, non carent motibus; artus ſubſiliunt, concutitur truncus, a ſectis arteriis ſanguis effunditur: quare adhuc pulſent in iis arteriæ, cor ſaliat neceſſe eſt. Cor autem etiam longius a morte extractum iterum oſcillat, ſi vel calida abluatur, vel ſtylo acutiore fodicetur. Tu certe, opinor, vitales ejuſmodi motus

(*a*) In confeſſione facti.

(*b*) In confeſſione facti.

tus non dices, ne homines, vitulos, viperas, ranas, & animalia pleraque, dempto capite, corde avulſo, vere mortua, adhuc vivere cogaris dicere. Scilicet ii motus, non vitalis animantium principii effectus ſunt, ſed fatui quidam muſculorum ſaltus a reliquiis ſpirituum animalium intra fibrarum receſſus deliteſcentium, & oſcillantium producti: qui ſi nulla indicia vitæ animalium faciunt in Solis luce, quæ in tenebris faciant?

Nihil igitur ſigni, quare filiam putaret vivam, afferebant huic matri in noctis umbra motus jam dicti; cum ſimiliter fatui in corpore filiæ recens mortuæ, falſa principii vitalis ſpecie illuderent: unumque illud remanere videbatur, quo ſcire poſſet in tenebris mater, num viveret filia, ſi nempe deficiente oculorum intuentium fide, teſtimonia vocis non defuiſſent, quæ de illius vita ad aurem matrem admonerent. Utrumque defuit matri. Non ejus oculi intueri potuerunt, ſi rigida eſſet, an geſticularetur puellæ facies; non ſi oculi in ea aperti, an conniventes, an clauſi; non ſi emortuæ pupillæ, an ſplendidæ. Aures quidem, ſi modo umquam, vocibus patuerunt, non parum diu ſollicitæ, ſi forte ejulatibus filiæ, quos mater nollet, partus cognitio ad heros ſuos perveniret. Nulla de puellæ ore audita prima vox eſt. Potuit, inquis, puella vivere nullo vagitu edito. Attende quæſo quid dicas. Ponis puellam abſolute perfectam numeris, & membris omnibus; ponis ad exitum jam maturam, & bene valentem; frigido in loco, frigidiſſima tempeſtate, ad frigidum pavimentum nudam appuliſſe tenes; frangi eidem nequiviſſe funiculum umbilicalem abſque acerbiſſimo dolore inficiari non potes; a matre non ignoras manuum tractatione verſatam, & laceſſitam: & audebis dicere, potuiſſe puellam ſine vagitu vivere in tanta vagiendi neceſſitate conſtitutam? At vagire potuit filia, nec audiri vagitus a matre. A matre inquis? ſtudioſiſſima mulierum omnium, & colligendis primis quibuſque voculis partus ſui impenſius addicta? Relucet hic ſtudii ardor in brutis, & avibus, & feris ipſis, quæ pullis ſuis, quamprimum nati ſunt, voces, vel ſonos edere incipientibus operam dant, & au-

rium ſenſum accommodant. Mugiunt vituli, equuli hinniunt, balant agni, & hædi, ganniunt catuli, grunniunt ſues, garriunt aviculæ, pipiunt gallinarum pulli, ubi roſtellis ova percuderint, quæ poſt unum, & viceſimum diem ſilentia, ut ait Columella, carent animalibus (*a*); infantes vero, quod humanæ ſpeciei proprium eſt, vagiunt in vitam ingreſſi, ipſumque vagitus nomen inventum eſt ad exprimendum ſonum vocis recentis, & primæ; quemadmodum apud Agellium docuit Varro explicans unde, *Vaticanus Deus nominatus, penes quem eſſent vocis humanæ initia: quoniam*, inquit, *pueri ſimul atque parti ſunt, eam primam vocem emittunt, quæ prima in Vaticano ſyllaba eſt* (*b*). Sic profecto res habet. Incipit vagitus, & vox cum vita hominis nati, quin etiam interdum naſcentis, ſi clariſ. Segerum audiamus, ideſt cum adhuc in vagina eſt, exſerto extra uterum capite (*c*). Naſcuntur pueri ſecundum naturam verſi in caput, inquit Philoſophus, *qui cum exierint, vocem ſtatim emittunt* [*d*]: quod ita omnibus commune eſt, ut rariſſimum judicaverit clariſ. Gaſpar a Rejes, *quod de filio ſuo Henrico narrat Smetius, peculiare illi fuiſſe, ut natus nullum vagitum ederet, nullum ploratum emiſerit, quem tamen quarta die epilepſia invaſit* (*e*): ſed hunc ſtupiditate cerebri laborantem, ſenſus hebetes, tardos, pingues, & ſtructuræ viſcerum labefactatæ vitia ab utero retuliſſe declaravit herculeus, & ſacer morbus, a quo brevi correptus fuit, ut propterea illum tacuiſſe mirandum non ſit: qui autem omnes in ſe habens perfectionis numeros infans naſcatur, corporiſque delicatiſſimi ſenſum frigoris, terræ, moleſtiarumque ſævis cruciatibus feriendum nudus objiciat, cum ante in placido, & calidiore uteri hoſpitio commoratus fuiſſet, hunc ſine lamentatione, & lugubri ejulatu vim dolorum perferre tacitum, ab humanæ imbecillitatis neceſſitatibus alienum eſt. Quomodo igitur animum potes indu-

(*a*) Colnmel. l. 9. c. 5. p. 109.
(*b*) Apud Gerard. Voſſium in Etymolog. lat. ling. p. 538. in verbo *vagire*.
(*c*) Georg. Seger. ap. Bonett. in med. ſepten. l. de fœtib. p. 127.
(*d*) Ariſtotel. de hiſt. Animal. l. 7. cap. 10. p. 142.
(*e*) Gaſpar. a Rejes in Elyſ. jucund. quæſt. 55. p. 684. num. 3.

inducere ad ea comminiſcenda, quæ dicis, cum, & puellam retuleris uſque ab unguiculo ad capillum ſummum abſolutam inveſtigator illius, & teſtis? & ſcias ab omni præſidio nudam, & expoſitam fuiſſe doloribus moleſtiſſimis, & offenſionibus aeris, telluris, & frigoris? & matrem noveris venandis puellæ vocibus ſtuduiſſe attentius, in id unum potiſſime defixis auribus? Satis vero longum tempus interceſſit, quo & afflicta cruciatibus ejulare non omitteret filia, & ejulatus mater exciperet: quæ enim puellæ naſcenti, & natæ, quæ matri in partu moras trahenti, laqueum concinnanti, contorquenti, copulanti reſponderint tempora quis non videt? Hæc innumeris refertum puellæ interſpirationibus, & ejulatibus ſpatium conflare potuerunt.

Sed quæſtionem urges, atque in magnis indiciis criminis ponens tumorem colli, & ſulcum lividi coloris altius laqueo inſculptum, & labia tumida, ac livida, & apicem linguæ extra labia nonnihil ejectum, tumidum pariter, & lividum, phœnomena hæc, non ad umbilici, ſed ad matris factum pertinere contendis. Colligere te video communia quædam ſuffocationis ſigna, legitima vero præterire. Ecquod enim de iis ad legitimi rationem expendas? Tumoremne colli, quem plures, & varii affectus adjunctum habent? Sulcum fateor effecit laqueus, qui ſi paulo altius in collum penetravit, id humido, & ſordibus latrinæ laqueum contrahentibus tribuendum eſt: chordæ enim & funiculi, ut omnibus notiſſimum eſt, madefacti intumeſcunt, contrahuntur, dureſcunt, viribuſque adauctis ad agendum fortiores fiunt; qua ratione vel quadrupedis corium ſulcare commode poſſunt, non modo teneram infantis cutem. Verumtamen ſulcus ille laquei ſignum, non interitum filiæ demonſtrat. Nimirum hoc illud eſt, de quo modo quæſtio vertitur inter nos. Non quæritur, ſi mortua cum laqueo reperta ſit filia (hoc quæſtione non indiget, cum de eo conveniat), ſed ſi ob laqueum, cum quo mortua reperta eſt, vitam amiſit. Etiam, atque etiam ut hoc diligenter attendas poſtulo, inſto, urgeo. A quæſtione ſejungas oportet quod quæritur. Mihi convenit tecum, mortuam filiam oculis viſam cum laqueo:

queo: laqueus an interfecerit filiam, nec ne, id in controverſia eſt. Controverſiam non tollit quæſtio, ſed gignit: quæſtio enim appetitio cognitionis eſt, non quæſitæ rei cognitio. Tu qui mortis cauſam ad laqueum revocas, controverſiam non dirimis, niſi indicia vitæ in filia, cum laqueus injiciebatur a matre, luce Solis clariora depromas. Etenim crimina, quæ ad judicium capitis pertinere cenſenda ſint, ſic intueri oportet, ut ea cernimus, quæ videmus: quia innocens ſi accuſatus ſit, abſolvi facile poteſt; nocens, niſi rei veritate perſpecta, condemnari non poteſt. Ejuſmodi ſane indicia non profers, cum ſigna quædam communia colligas, legitima, propria, neceſſaria prætermittas. Relinquis igitur cauſam interitus filiæ ancipitem, dubiam, cimmeriis tenebris involutam.

Sed veniamus ad circulum lividi coloris. Utri vero potius ipſum adſcribas? funiculo ne umbilicali, quem natura, an laqueo, quem mater injecit? Clariſ. Teichmeyerus, ut ante monui, *lineam conſpici in collo rubram, ſive circulum rubicundum* juxta clariſ. Bohnium, animadvertit, *quando per vinculum ſtrangulatio facta fuit* (*a*). Scribit vero clariſ. Albertus, *quando circulus lividus in collo conſpicitur, omnino ſuſpicionem ſubeſſe, an non a funiculo umbilicali id contigerit, quoniam interdum funiculus umbilicalis fœtum ſtrangulare poteſt* (*b*). Circulum lividi coloris, non rubri, in collo filiæ conſpicuum fuiſſe narras. Circulus igitur ille lividus ea collum aſperſit macula, quæ illatæ necis ſuſpicione laqueum liberet, funiculum umbilicalem conſpergat; vel ſaltem notas unius vinculi cum notis alterius ita commiſcuit, nullum ut proprium ſignum primi, nullum ſecundi reliquerit; cum in eodem veſtigio hæſerint laqueus, & umbilicalis funiculus; hic quidem breviore mora temporis, & tranſilientis more; ille multo longiore, diutius permanendo.

Nihilo pluris æſtimo notas labiorum, & linguæ ſecundum apicem paulum tumidæ, & ejectæ extra labia tumentia,

(*a*) Herman. Teichmeyer. de infantici. c. 24. p. 243.

(*b*) Mich. Albert. Syſt. Juriſp. med. c. 9. p. 186. num. 13.

tia, & livida. Labia inficere, & inflare valuit frigus, & mora in humido, ac ſordibus: mollis quippe admodum, & ſpongioſa eſt labiorum caro, quæ humorem colligens facili negotio inflatur, & livet. Sic etiam affecta naturæ vitio occurrit in pueris, qui interdum naſcuntur *cum maculis lividi coloris, aut violacei, faciei præſertim labra occupantibus cum tumore molli, laxo, raro*, uti obſervavit Paræus (*a*). Linguam vero quid non videmus quam ſint varia cauſarum genera, quæ inflent non modo ſecundum apicem, ſed totam, & ejiciant ex ore? Et notum quidem eſſe ſcripſit clariſ. Stalpartius, *in fœtibus, qui ex utero prodeunt mortui, linguam nonnihil inter maxillas prominere* (*b*): & in adulti hominis cadavere, ſi dentium evulſione obex auferatur, linguam, compreſſis faucibus, inter maxillas propius ad os urgeri conſtat. Neque non poteſt lingua pari ratione pelli, ac tumeſcere a fortuitis nexibus funiculi umbilicalis, atque a laqueo malitiose ad fauces appoſito. Fit etiam ſæpe convulſione, ut ita pellatur lingua, ſæpe angina, ſæpe paralyſi, & apoplexia, qualis ea fuit, quam ſuperioribus menſibus in decrepito quodam ſene animadverti; moriebatur enim hiante ore, facie ſubtumida, & coloris fere punicei; cumque lingua reſolutis ejus muſculis proſiliret, mortuo ſeni remanſit interclusa dentibus, craſſitudine ſemidigiti foras ejecta, ſpumaque rara, & albeſcente intrinſecus circumfuſa. Species illa defuncti ſenis, mihi memoriam hujus mortuæ puellæ refricavit, perſuaſitque egregie, quam periculoſum, ne dicam impium, ſit de rerum eventibus, non inveſtigatis, nec cognitis cauſis rerum, ex impetu animi, & facie tenus judicare. Finge animo (ſunt enim liberæ cogitationes noſtræ; ſumunt pro facto quod fieri poſſe vident) ſenem illum in deſerto aliquo loco ſolum deceſſiſſe; neminem conſcium, neminem teſtem fuiſſe; tum nugatorem aliquem non incallidum prætereuntem cadaveris collo laqueum injeciſſe. Quam belle nugator ille fabellam populo daret, quæ & plurimo-

rum

(*a*) Ambro. Paræus de generatione hominis l. 23. c. 17. p. 676.

(*b*) Cornel. Stalpart. part. poſt. obſerv. 32. p. 342.

rum judicia falſa commoveret, & alicujus innocentis hominis vitam meditati facinoris laqueis implicaret! Sic eſt fere natura hominum: veritate latente, umbram & imaginem veritatis amplecti, veritatem dimittere, idque deterrimum judicare, quod ab optimi ratione abeſſe videatur. Non eſt igitur dubitandum, quin ſepoſitis, vel certe nuſquam ſeorſim acceptis ambiguis, dubiis, & communibus ſignis, quæ lucem eripiunt, & quaſi noctem quamdam rebus offundunt, ab argumentis, quæ dant vias ad veritatis ſcientiam, capiendæ ſint cauſæ interitus hujus filiæ. Potuit enim, quis dubitet? potuit fato ſuo perire; ſed quid dico potuit? immo vero periit, in primo aditu, & veſtibulo ortus ſui, vix dum exſerto capite extra oſtium uteri, vel vaginæ, nondum excluſo reliquo corpore, ab funiculi umbilicalis orbibus ſtrangulata. In quo nemo repugnabit, qui doctus experientia probe ſciat, nullis malis artibus idipſum in probis, honeſtiſſimiſque nuptis non raro contingere, perfectis jam fœtibus, & bene ad exitum maturis.

Et quoniam longius proceſſit ratio ducta ex perſpicuis ſignis fracti umbilici, vagitus deficientis, cæteriſque ante poſitis argumentis, rem prope patefactam jure noſtro præſumere licebit. Tua vero ratio niſi præclare conſtet, & omni ex parte ſecum ipſa conſentiat, ut crimen, quod matri affingis, in aperto collocet, & ipſis fere oculis patefaciat, vacillat, claudicat, vel jacet potius. Quid ergo, inquies, ſi rem intueri non poſſumus, an dum filia loquatur expectamus? congruentibus ſignis contenti non ſumus? Eſto: congruentia ſint ſatis, ſi modo alia ſunt æque congruentia, vel etiam congruentiora, quę oppoſita illis adverſentur. Si maternæ calamitatis, & vitæ defenſionem ſuſcipimus, congruentibus ſignis poſſumus contenti eſſe, at illis minime, ſi criminationem. Ad hanc perſpicuis & evidentibus ſignis opus eſt: defenſio enim tuetur alterius caput, famam, fortunas, quibus rationes æqui, & boni, temperatione humanitatis moderantur; criminatio perniciem, dedecus, exitium molitur. Quod cum calamitoſiſſimum ſit, nefas eſſe, & facere rogatum,

&

& rogare (niſi Solis luce clarius liqueat crimen) clamant leges, conſentiunt jura ſancta, ratio convincit.

Sed enim dices: neque in tua cauſa reperio ea ſigna, quæ ſi poſtulas in mea criminatione, poſſum ego pari jure requirere, & velle in defenſione tua. Hoc tantum intereſt inter nos, quod tu necis culpam in naturam, ego in matrem transfero: cæterum cauſa necis ferme eadem eſt, idemque fere inſtrumenti genus, ſcilicet funiculus umbilicalis per te a natura, laqueus per me a matre circumjectus. Utriuſque eſt eadem vis, & nocendi ratio, cum premendo, & ſtrangulando uterque vitam extinguat. Ex quo tua pariter intereſſe vides, ea quæ vocas legitima ſigna in medium afferre, rugas nempe in collo, lacerum caput aſperæ arteriæ, ſpumeſcentem humorem in viis aeris, cumulatum ſanguinem in pulmonibus, & corde.

Habeo quibus me oppugnatum iri machinis putes, iis nimirum, quæ ſunt a me ad te oppugnandum adhibitæ. Sed quantum a nobis diſtes, & differas vide. Primum ſi ſegreges mihi nomen funiculi, nihil habet commune funiculus umbilicalis cum laqueo neque natura, neque habitudine, neque uſu. Quod ſi funiculus ille interdum ſtrangulando necat, non unice id facit obturando aeris vias, ſed & ſanguifera colli vaſa, & umbilicalia comprimendo. Compreſſis umbilicalibus, tollitur circuitus ſanguinis inter placentam, & fœtum: ſanguiferis colli obſtrictis, a circuitu ſanguis inter cerebrum, & cor, ac ne ſpiritus animales a cerebro in cor influant, prohibentur; hinc vita fœtus illico extinguatur neceſſe eſt. Deinde natura lentus, viſcoſus, & tardi motus eſt ſanguis in fœtu, pergracilia vaſa percurrit, difficilius ſolvitur in calorem, tepeſcit facile, & cohibetur a frigore: quapropter ex cauſis etiam leviſſimis, & momento temporis aufertur ejus circuitus, deficiunt animales ſpiritus, perit infantis vita. Periit hæc, ut ego quidem ſentio, in articulo temporis illius, quo fœtus, vix ab utero, vel pudendis matris educto capite, cum toto reliquo corpore intra uterum, & vaginam adhuc concluſus eſſet, diſtracto violentius funiculo, arctiſſime compreſſis cum collo umbilicalibus vaſis, ſublatoque ſangui-

guinis circuitu, ab impetu naturæ partum expellentis funiculus dilaceratus, & diſcerptus eſt. Quæ rugæ in collo, quæve in larynge vitia expectari poterant a funiculi ſtrangulantis niſu? qui & natura membranoſus, & lævis eſt, neque diutius hæſit ad collum fœtus, quam dum a distractionis violentia diſſolveretur? Quæ item ſpuma conflari poterat in viis aeris? quive in pulmonibus, & corde ſanguis conſiſtere? Pulmones in articulo dicti temporis adhuc compacti erant: vacuæ ſanguine pulmonales arteriæ, & venæ: vix radiolus aeris in vias aeris ſe intruſerat: ſanguis per foramen ovale, & arterioſum tubulum, devitatis pulmonibus, agebatur in gyrum, relictoque paulatim corde, tandem intra vaſorum alveos totius reliqui corporis totus conſtiterat. Cauſam igitur vides, quare nullus debuerit in corde, pulmonibuſque ſanguis conſiſtere, nulla in viis aeris ſpuma concreſcere: nondum enim in pulmones influxerat ſanguis: jam a corde receſſerat: penuria aeris, & lymphæ materiam gignendæ ſpumæ ſuppeditare non poterat. An hæc ejuſdem modi fuiſſe oſtendas, cum laqueus injiciebatur a matre? rudis de ſe primum, & aſper, ſcilicet ex ruſticis filis cuti corrugandæ aptiſſimis coagmentatus; deinde longius ab articulo temporis ſupradicti, nec ſine matris cunctatione circumdatus? Subducito, quæſo, rationes a puellæ naſcentis exordio ad finem illum, in quo nodus in laqueo a matre conjunctus fuit: tempora bene multa effluxiſſe fateberis. Unum eſt cum puella naſcebatur in caput; alterum cum parta eſt; tertium eſt tempus cum manus extendit mater, ut filiam apprehenderet. Adde interpuncta, & moras, cum apprehendit, cum a veſte cingulum avulſit, cum laqueum concinnavit, (*a*) bis in orbem duxit, aptavit, adduxit, contorſit, & in nodum denique copulavit. Jam igitur in his temporibus animadvertis mutatum in puella circuitum ſanguinis; pulmonalia vaſa repleta ſanguine; reſpirationem iterato, ac ſæpius celebra-

(*a*) Juxta relatoris verba: *al collo legata a due girate una cordella di bavella*.

bratam; copiam lymphæ, & aeris in hujus viis pro ſpumeſcentis humoris materia abunde proviſam. Itaque implicatum, ut ante, tuus te iſte laqueus, & conſtrictum tenet, neque ab iis moleſtiis liberat, quas depellere abs te, mihique exhibere volebas; rugoſæ cutis, dilaceratæ tracheæ, ſpumæ, & ſanguinis in præcordiis, & aeris viis hærentis, quæ ſunt veriora indicia necis a laqueo.

Veruntamen haſtas non abjicis, nec diffidis, & perinſignem ad manus experientiam te habere credis; pulmones videlicet, qui de puellæ cadavere educti, & in aquam immerſi, nataverunt in aqua. Non eam vim habet, crede, quam putas, experientia illa pervulgata, & vetus; & vero contra me neque aculeos, neque nervos habet: ego enim, ſi memoria tenes, poſui interjiſſe puellam, cum eam circumplicaviſſet funiculus umbilicalis, in primo ad lucem aditu inter magnos, & operoſos labores matris, capite excluſo ex patefacto uteri, vel vaginæ orificio, reliquo autem corpore adhuc concluſam intra uterum, & vaginam. Satis aperte declaravit hunc caſum Hermannus Teichmeyerus adverſus Beyerum cenſentem, excluſo capite, ſtatim facillimè excludi reliquum corpus abſque mortis periculo, ſcribens non perpendi ab hoc viro, *quod infans capite excluſo poſſit ſuffocari vel a funiculo umbilicali eum ſtrangulante, vel quando uterus, & pudenda muliebria externa conſtringuntur circa collum infantis*; adeoque ſemel reſpirato aere infantem mori capite excluſo, antequam totus naſcatur (a). In hac eadem ſententia eſt Michael Albertus, admonens huic caſui tum locum eſſe, *quando paulo diutius tunicis ſuis evolutus embryo, & toto capite patefactum uteri orificium tranſgreſſus, ſub reliqua uteri apertura, & partus tardiore ſucceſſu, in uteri cavitate moratur*: aerique in primis patere aditum, ubi parientes fœminæ in locis apertis, & frigidis, velut horreis, & ſtabulis, *denudantur*, ut aer liberius corpus ambire, & uterum ingredi queat (b). Moritur in hoc caſu infans in partu, qui paulo ante in utero vivus

D 2 erat.

(a) Herman. Teichmeyer. Inſt. med. leg. c. 24. p. 241.

(b) Mich. Albert. Diſſert. med. for. p. 89. 90.

erat. Reſpirati aeris pulmo natando in aquis teſtis eſt, qui tamen de infantis, ante partum mortui, vita poſt partum teſtimonium ferre non poteſt. Neque hoc a Beyero negatur, qui cum infantes neget illæſis involucris naſci poſſe, iis tamen ruptis, *licet adhuc caput circumdent, partum non reſpiraſſe, nemo*, inquit, *affirmare audebit, qui vim aeris undique irruentis perpendit* (*a*). Et ſane mira, & incredibilis eſt aeris vis, & ſubtilitas, viriumque ingentium ejus elaterium, & pondus: quacumque enim vel minima aperiatur rima, illac celerrime perfluit, & vel modica pars, & ut dixi, radiolus aeris, laxatis pulmonum cellulis, promptiſſimos ad natandum pulmones efficit; quoniam ex mixtura aeris mutato pulmonum volumine, mutatur etiam pondus, quod reſpectu aquæ levius efficitur, unde juxta æquilibrii leges ad aſcenſum compellitur: *ſolidarum* enim *magnitudinum*, docente Archimede, *quæcumque levior humido fuerit, demiſſa in humidum manens, non demergitur tota, ſed aliqua pars ipſius extabit ex humidi ſuperficie* (*b*). Verum ſilentio præteriri non debet, ſpeciem illam pulmonum natantium fallaciis, præſtigiis, & fraudibus refertam eſſe, quæ incautis, & credulis fucum faciat. Experientiam tu illam vocas, alii fallaciam, dolum, captionem; ideo quod ea, quæ aliquando ſic, alias ſecus, nec una ſemper viſuntur facie, doloſa, & mendacia merito reputentur. Quid enim captioſius, quam infantem, qui natus vixerit, ſignificari mortuum prodiiſſe? cumque in utero mortem obierit, prodiiſſe vivum oſtentari? Utrumque mentiuntur pulmones in aquis: nam &, infante edito vivo, deſcendunt ad fundum aquæ, &, eo in utero mortuo, fluitant in ſuperficie. Infantis cujuſdam octodecim horas a partu vivi, poſt mortui, cujus pulmones non modo integri, ſed & in fruſta diſcerpti fundum aquæ conſtanter petierunt, mentionem facit in Actis Academiæ Naturæ Curioſorum clariſ. Mauchartius (*c*). Contra Diemerbroekius in fœtu paulo ante partum

(*a*) Apud Herman. Teichmeyer. l. c. p. 241. 242.

(*b*) Archim. l. p. Prop. 4. de iis; quæ vehuntur in aqua. Apud Teophil. Bonet. in med. ſeptem. T. 1. l. 2. ſect. 17. pag. 443.

(*c*) Jo David Mauchart. Academ. Cæſar. Leopold. N.C. Cent. 1 & 2 p. 247.

tum in utero extincto, pulmonem adeo mollem, & ſpongioſum ſe reperiſſe affirmat, *ut aquæ injectus minime ſubſideret, ſed nataret* (*a*). Huic ſimile exemplum in eadem Acta A. N. C. retulit clariſ. Heiſterus (*b*). Nec deeſſent alia ſane multa, ſed nolo eſſe longior. Jam ſi a pulmonibus deſumpta ſigna in tam diverſas, tamque contrarias diſcedunt partes, quæ conjectura certior ab iis de infantis vita, vel morte capiatur? Naſcitur infans vivus: deſcendit in aqua pulmo; mendax eſt. Naſcitur infans mortuus: aſcendit in aquis pulmo; iterum mendax eſt. Naſcitur rurſus mortuus: obſtetrix anceps, & dubia intra illius os inſpirat aerem, ſi forte ſopitus excitetur, & vigilet: pulmo plenus aere aquæ ſupernatat; denuo mendax eſt. Reſpiravit aerem proxime ad partum fœtus: moritur in partu: ſupernatat pulmo; rurſus mentitur. Quæ ſigna putanda ſunt hæc, quæ in apertis rebus ſunt falſa, in obſcuris ambigua?

Nuda igitur hæc ſigna ſi ſumas, judicare qualia ſint haud facile poſſis. Scrutari omnia ſolertiſſime, & conferre invicem convenit: a cauſis, loco, tempore, partu, & facto ipſo conjecturam capere: umbras a rebus, verum a falſo accurate ſecernere, ne ſimilitudo, & ſpecies errorem creet, perverſa interpretatio cauſæ ad ſententiam inique ferendam deducat. Cum factum naturæ comparo matris facto, ſexcenta mihi ſe offerunt, quæ naturam accuſent, matrem defendant. Matrem defendit, in ſumma rerum neceſſitate inopia omnis auxilii, magnitudo laborum, importunitas hyemis, alieniſſimus corporis ad terram poſitus, nulla ruboris in collo, nulla in cadavere filiæ legitima nota necis a matre. Accedit triſtiſſimi timoris ſenſus, ſolitudo loci, caligo noctis, & oculorum, mentiſque cæcitas: in hoc enim genere nimis verum eſt, & id quod offendit ſemper nimium eſſe, & id quod a ſana mente deturbat numquam parum videri. Naturam accuſat umbilicalis funiculus dilaceratus, quem ab nemine diſcerptum fuiſſe conſtat: accu-

(*a*) Diemerbroek. Anat. l. 2. de Thorac. p. 312.

(*b*) Laurent. Heiſter. Ephemerid. Acad. Cæſar. Leopol. Vol. 2. obſerv. 188. p. 144., & ſequ.

accuſat circa collum puellæ lividi coloris circulus: accuſat acerbitas frigoris membra, & viſcera matris, & fœtus convellentis: accuſant contrarii motus, & impetus colluctantium inter ſe, & confligentium in partu virium: violenta fœtus in partu mora, ſtrangulatus vaſorum, ſublatus ſanguinis circuitus, ſilentium denique infantis accuſat. Quam voles enim ſubtiliter, & acute diſertus ſis, ſi dum per tempus licebat, & neceſſe erat, nullum ejulatum, nullam primam vocem emiſit filia, magnum id hercle, ac præſtans mortuæ ante matris factum puellæ argumentum eſt; eoque præſtantius, quo ad audiendam vocem comparata erat matris auris attentius. Neque dicas: vocem abſtulit offenſio capitis ad terram gravis: etenim offenſio (quamquam quæ gravis eſſe poterat in ea puerperæ ſtatione, & terræ vicinitate?) in delicatiſſima infantis cute, atque in tenellis oſſibus cranii dediſſet ſignum; levis non ademiſſet ſenſum, quinimmo novo cruciatu addito, infantem ad ejulandum altius impuliſſet.

Quod ſi ergo in partu interiit filia, ut expoſitæ jam, & nexæ aliæ ex aliis confirmant cauſæ, fato igitur ſuo, non matris facto interiiſſe puella dicenda eſt: neque enim conſciſcendæ necis ſpatium obtinere potuit mater, cum fatalis cauſarum ſeries, & neceſſitas prius interfecerit filiam, quam interficiendi poteſtatem aſſequi mater poſſet, cui propterea, ſicuti objectæ necis præſumptio obeſſe non debet, ita ne opinio cogitatæ officiat ſperandum eſt: quoniam ſi filiam perdere cogitavit, tamen non perdidit filiam, cujus vita jam functæ, non vivæ collo laqueum circumjecit.

Pro

Pro Maria Vanti in capitis judicium vocata.

DEFENSIO.

CUm de dubiis hominum delictis judicium, quod reo mortis pœnam inferat, a Medicis ferendum eſt, ita circumſpecte, prudenterque agendum eſſe judico, ut veritate præ oculis habita, per libram, & triunces tractetur res, ne condemnatorum ſanguis animas commaculet peritorum, atque ne illum divinus Judex ſuper filios filiorum diffundat. Quæ judicandi regula, ut in omnibus adhibenda eſt, ſic vel maximè cum mulierum perpenduntur ſcelera, quæ ut plurimum ignorantiæ, timoris, amoris, imprudentiæ, pudoris non levem habere ſolent excuſationem. Quod ſi hujuſmodi criminum indicia pro incertis, pro obſcuris, pro fallacibus teneri merito poſſint, nec (a) *clare, nec aperte* ultra confeſſionem de exceſſu conſtet, pendeant oportet ſuſpenſi, & ancipites Medicorum judicantium animi; vel ſaltem æquitatis ratione habita omnibus enitendum eſt viribus, ut hujus ordinis peccata non ſint nec gravi, nec extremo expianda ſupplicio. Itaque, infelix genitrix, demiſſum, & oppreſſum animum ad bonam ſpem erige, & recreata paulum a metu reſpira. Non indefenſa, non deſerta, non ex toto jacebis neglecta; etenim cum apud Judices clementes, & probos cauſa dicenda ſit, in illorum integritate animorum defenſio pro te clara, & aperta relucet. Quod etſi pluſquam ſatis eſt, id quoque accedit nihil eſſe in facto, nihil in accuſationibus, nihil in peritis, nihil in tui ipſius confeſſione, quod capiti tuo pœnam conſcribat ſanguinis. Quæ ut vera ſunt, ſic etiam ut pro veris probentur tria facio. Primum deſcribo id

(a) Monitos verò velim in hujuſmodi caſibus Judices, ne tam facile has mulieres ultimo damnent ſupplicio, cum clare, & aperte de exceſſu ultra illarum confeſſionem non conſtet. Theſ. Dec. 13. n. 7.

id quod dedit cauſam criminationi: tum & peritos, & accuſatores in familiarem diſceptationem adduco: denique ex tui confeſſione facti defenſionem rei ſuſcipio. Quæ omnia ſimplici quodam, & verſatili ſtylo perſequor, ut in conſpectu Judicum per ſe eniteat veritas incompta quoque, & impexa.

En ergo puella extincta, recenter nata, nonimeſtris, omnibus numeris abſoluta. Hæc ex humida, profunda, frigida, fœtida educitur latrina. Cute fœdata putet, ſed nihil in oſſibus fracta, nihil in carnibus contuſa, nihil diſtorta in articulis, nihil in membris nigra eſt. Zonulam humentem, & turgidam collo illius bis circumductam, & nodo firmatam videte. Liveſcunt parumper labiola: lingua aliquantulum exerta tumet in apice: collo tumor eſt, & ſulcus: ex ventre pendet umbilicalis funiculus: denique thorace aperto cor, & pulmo nullam indicant labem, et ſi aquæ impoſitus pulmo, innatat.

Accedite nunc arte medica periti, & antè Deum veritatis auctorem ſtantes judicate. Nata ne viva puella hæc eſt, an mortua? Strangulata ne a laqueo interiit, an alia de cauſa ſuffocationem eſt paſſa? (*a*) Suffocata eſt per laqueum; (*b*) nata vixit ad aliquod tempus, reſpondent Curiæ chirurgi. Tam liberè, tam ſubitò, tam fidenter ſententiam dicitis? Afferte fundamenta opinionis. Vixit, ajunt, ad tempus, (*c*) quia extracti pulmones aquæ ſupernatarunt. Zonula ſpiritum fętulæ intercluſit, (*d*) quia alias nec lingua exerta, nec tumens, nec nigricans viſa eſſet; labia nihil livida, collum nihil apparuiſſet ſulcatum. Hujuſmodi ne tantum rationibus pro Fiſco ſtatis? Vobis, qui delictorum judices in Curia ſæpè ſedetis, prę manibus erant Paulli Zacchiæ, Fortunati Fidelis, Paræi, Farinacei, aliorumque Conſultatorum volumina, ex quorum doctrina novum

(*a*) Si vede eſſer ſtata ſtrangolata a forza dopo nata &c.

(*b*) Giudicano, e atteſtano eſſere detta creatura nata viva, e avere qualche ſpazio di tempo viſſuto.

(*c*) Furono veduti ſtare a galla ſopra di detta acqua, talchè maggiormente arguiſſimo, e giudicaſſimo, che detta creatura foſſe nata viva, e che aveſſe viſſuto qualche ſpazio di tempo. *Hæc ex proceſſu.*

(*d*) Perchè ſe non foſſe nata viva, non avrebbe quel poco di lingua fuori della bocca.

vum non erit, (*a*) quod non licet fidere ſignis communibus, ſed requirenda quæ propria; (*b*) quod ſubita mors, ac naturalis ſuffocatio plurimum habet commune cum morte violenta; quod inter conjecturas, (*c*) & indicia ad probandum, ſemper ſumenda eſt interpretatio delicti excluſiva. Revera quodnam infidum magis, inconſtans, dubium experimentum eo, quod contingit & in fœtu ſi vixerit, & in fœtu ſi nunquam liberè auram vitalem ſpiraverit? Tale eſt illud de pulmonibus fœtuum extractis e pectore, & aquæ limpidæ impoſitis, qui non minus innatant embryone extincto in utero, ac cum extra uterum pueri reſpirarunt (*d*). Dicite, amabo vos, an non aliquando poſtremis ſaltem menſibus aliqua eſt embryonum in utero reſpiratio (*e*)? Forte ne aer ita craſſus eſt, ita iners, ita ſinè motu, ut effuſis amnion aquis tunicas utero incluſas ſubire nequeat? An non naſcentes homines, cum ex uteri cervice caput exerunt, vel cum adhuc in vagina morantur, reſpirationem non levem habent (*f*)? An non pulli pipientes in ovo incluſi ſubaudiuntur? Ergo ſi experimentum hoc & ad vitam & ad mortem fœtus referri poteſt, non verum eſt conſequens, quod infertis; pulmones innatant, ergo cujus ſunt, extra uterum reſpiravit, & vixit. At pro indubitata probatione facti hujuſmodi experimentum ſemper habitum eſt. Quid inde? Etiam à vobis in probatis haberi ſolet partum octimeſtrem vitalem non eſse, tamen ſi rationem, & experientiam rerum magiſtram conſula-

E

(*a*) Non licet fidere ſignis communibus, ſed recurrendum eſt ad magis ſpecialia. Paræus lib. prædict.
Fort Fidel. lib. 2. Lib. Medic. c. 3.

(*b*) Medici multum advertant in iſto caſu, nam ſubitanea mors, & naturalis ſuffocatio ſolet etiam cauſare talia, & pejora ſigna in gutture, & alia parte corporis.
Foller. in d. cap. inform. nu. 24.
Farin. quæſt. 2. pag 19.

(*c*) Semper ſumenda eſt interpretatio delicti excluſiva. Marſ. in Rub. de fide inform. nu. 47.

(*d*) In fœtu mortuo, ante partum in utero extincto pulmo aquæ injectus minimè ſubſedit, ſed innatavit.
Diemer. Anat. lib. 2. de Thor.
Cirill. in Ethmuler. de Morb. Reſpir.

(*e*) Concludendum cum Bartholino fœtum in utero ſaltem ultimis menſibus, cum maturitati, & partui proximus eſt, ſine tamen magno muſculorum thoracicorum conatu reſpirare. Sponius in Aph. Hip. pag. 40.

(*f*) Fant. Anat. de Org. Reſpi.

ſulamus, quid falſius hoc aſſerto? Conſtantia experimenta in probationibus ſunt eligenda; æquivoca, dubia, varia, & falſa rejicienda. Cognitum jam eſt nullius ponderis pro intentione Fiſci experimentum de pulmonibus aquæ ſupernatantibus à Diemerbroechio (*a*), à Cirillo (*b*), ab Heiſtero (*c*), a Sponio (*d*), à Paræo (*e*), à Bartholino (*f*), ab Academiis ferè omnibus; & adhuc a Curiæ peritis ubi agitur de hominum nece pro valido, & probante eſt admittendum?

Non majoris profectò ponderis eſt linguæ exertio ad probandam fœtulam viventem à laqueo ſuffocatam; etenim de lege naturæ eſt, ut naſcentes fœtus, & laborantes in exitu tumeant collo, gingivis, facie, lingua, præſertim ſi vel ab uteri cervice compreſsionem patiantur, vel anguſtæ ſint viæ, vel parturientis ſitus indebitus fœtibus incommodum faciat: quod ſi jam mortui in utero jaceant, linguam procedere ad os extra omnem dubitationem eſt poſitum (*g*). Sed hæc ſint pro nihilo. Fortè adhuc putabitis, linguam exertam evidens eſse argumentum ſuffocationis in vivente, ſi in cadavere, cujus collum conſtringatur, linguam erumpere videatis? Profectò cadaveris dentes evellite, ſtringite circà jugulum, vim facite ad linguæ radicem; extra gingivas feretur hæc: nec novum coquis experimentum eſt, qui demortua, & collo diſtorta animalia tractantes ad libitum exeri, & emungi illorum linguam cognoſcunt. Sed quid hæc quærimus, cum judicium nullum æquivocum magis eſſe poſſit in ſuffocatione per laqueum probanda, quam hoc ipſum a linguæ prominentia deductum? Epilepticis, apopleticis, ittericis, anginoſis, aſthmaticis quid communius? Ergo ſi epilepticus aliquis quaſi fulmine tactus in paroxiſmo periret, illique aut arte, aut malitia, aut caſu laqueus collo injectus eſſet,

(*a*) Anat. lib. 2. de Thor.
(*b*) In Mang. de Morb. Reſp.
(*c*) Act. Acad. Cur. obſ. 188.
(*d*) In Aph Hip. pag. 4.
(*e*) De Renunc. Vuln. in Manget.
(*f*) Anat. de Org. Reſp.

(*g*) In fœtibus, qui ex utero prodeunt mortui, lingua nonnihil inter maxillas prominet. Stalp. T. 2. Obſ. 22. Legatur Hiſtoria relata a Monſ. de Rapportes pag. 506.

ſet, ex quo linguam extra gingivas haberet prominentem, & tumidam, fuiſſe a laqueo ſuffocatum, cum viveret, eſſet à chirurgo pronunciandum? Si argumentatio à cauſa pro non cauſa fallax ad hæc uſque tempora judicata eſt, quid de hujuſmodi adducto a peritis argumento dicendum ſit, norunt aperte omnes. At non exerta tantum, ſed tumens, & nigra in apice aliquantulum viſa eſt, unde ad radicem quoque tumor, & nigrities propagata eſt. Affirmatis vos, ego nego. Quodnam pro tumore probando, & pro certitudinis criterio habitum a vobis eſt experimentum? quæ induſtria? quæ animadverſio? Os ne fœtulæ aperuiſtis? linguam eduxiſtis? altitudinem deſcripſiſtis? craſsitiem comparaſtis? Nihil horum. (a) *Ex tantilla igitur* lingua prominente per apicem, perfectum, & juſtum de tumore, & nigredine judicium datis? Jure itaque ut vos ità eſse dicitis, ſic nos ſecus eſſe affirmamus. Sed, ut vultis, tumeat. Quid ad me? Ut tumor linguę ſuffocationem per laqueum in vivente probet, conjunctus, oportet, ſit cum (b) oculorum extra orbitas emiſſione, oportet, ut narium alæ latè compareant explicatæ, oportet, ut facies nigricans turgeat, oportet, (c) ut muco ſpumoſo, plus minus cruore tincto ſcateant os, & nares. Quod ſi ob latrinæ ſorditiem abluendam obſervationi non erat locus, ore fœtulæ diducto mucus turgeſcens, & ſpumoſus intra maxillas comparuiſſet. Quæ omnia cum vel inobſervata neglexerint chirurgi, vel nullo modo (quod probabilius) extiterint, quæ vis ſit in argumento ex tumore linguæ deducto, non eſt quod nitar oſtendere.

Nec objiciatis velim ſugillationem labiorum, & colli, ejuſdem tumorem, & ſulcum; nam præterquam quod nihil horum aſsertum eſt die Jovis 23. Februarii 1736., corpore

(a) Un poco fuori della bocca. Proc. fol. 7.

(b) Lingua tumidior, ac nigricans extra dentes cum oculis prominet, atque oportet ut muco ſpumoſo plus minus cruore tincto ſcateant os, & nares. Bohn. de Ren. Vuln. Bib. Chir. Mang. pag. 691. diſſ. 2.

(c) Cum fauces recenter natorum muco ordinarie ſcateant, fieri facile queat, ut mox a partu ille in ſpumam elevetur. Ib. d. Bohn.

pore, ut ajunt, delicti ſub oculis poſito, ſed tantum die Sabathi 16. Junii 1736., quattuor ſcilicet elapſis menſibus, hæc quoque ſatis levia indicia pro Fiſco ſunt. Nam ſi fætula in ortu labiis terram fricaſſet (*a*), ſi ſulcum in carne laqueus poſt mortem impreſſiſſet, ſi nigredo ex humida, ſpurcaque latrina cauſam cognoviſſet, fruſtra incognitas quæreremus effectuum rationes, cum aliunde evidentes præſto eſſent. Præſto autem ſunt: etenim qui pollinctores ad præſervanda a corruptela cadavera præpoſiti ſunt, monent, & præcipiunt ne ulla pars ſit in humido, (*b*) cum nihil magis nigrorem, putredinemve inducat, ac humidum ipſum. Humidum laxat, humidum corrumpit, humidum partes præſertim ſpongioſas, ut labia ſunt, inflat facilè, & ad corruptionem diſponit. Tumorem verò, & ſulcum a ſtringente zonula originem trahere non inficior, ſed effectus hic a premente ſubligaculo, cum jam extincta fuit fætula, non cum adhuc in vivis erat, dependet. Quandoquidem cum ſpiritum intercludit inſtrumentum permanens, id agit, ut non minus ſanguinis circulum circa collum impediat, quam ad omnia membra, & viſcera, impeditique regreſſus ſanguinis ad venas in humeris, in brachiis, in facie non levia animadvertantur indicia, perque membra, & artus nigricantes ſpargantur maculæ (*c*). Conſequens ergo eſt, quod veſtigio apparente tantum circa collum fætulæ, inſtrumentum vel egit in demortua, vel inſtrumentum non permanens ſanguinis circulum intercepit. Nec novum eſt in cadaveribus multoties imprimi ſtigmata, ſi gravis preſſio contingat, & ſi corpus premens, & ſtringens (*d*) inflетur a guttularum ſerie ad inſtar cuneorum in-

(*a*) Si pronus hic diutius manſerit, quanto enim ſitus hic modo editis præjudicet, rudiores nedum obſtetrices nos docent, dum hos ſtatim cum manibus exceperunt, invertunt, & inverſos in gremio ponunt. Bohn. pag. 688. Manget.

(*b*) Locus humidus maxime ad putrefactionem facit. Becher. Phiſ. ſubter. lib. 1. ſub. V. C. p.

(*c*) De cætero livida comparet facies, humeri, & brachia, circulatione ſanguinis cum impetu intercepta, quin immo caput, & thorax. Mang. Bib. Chi. T. 3. pag. 691.

(*d*) Humiditas aeris ambientis chordas implet. Gal. com. 6. Aph. 39. & 50.
Funis madidus decurtatur ultra decimam ſextam partem longitudinis ejus. Bor. prop. 20. pag. 1002. Bib. Anat.

inflante; quæ ſi ſunt, ut revera ſunt, humectata, & ſtringens zonula ſulcum impreſsit in collo cadaveris; eoque tantum in loco, quem inſtrumentum, & funis compreſſit, elevatus eſt tumor, quia jam ante ſtricturam ſanguis ſpiritum, & circulum deperdiderat. Oculos quæſo pauliſper convertite ad cadavera manicatis induta ſubuculis. Solvite ſtrophium a collo: brachia à manicis liberate. Fovea apparebit & in collo & in brachiis plus minus profunda, ſubrubicunda, circumcirca liveſcens, tumeſcens ad menſuram ſtringentis induſii, idque clarius manifeſtabitur, ſi cadaver ſepultum ante in tumulo humido vel aliquantulum jacuerit; cujus obſervationis etſi auctores non habeo, vobis tamen ille ego ſum auctor, qui ut pro veritate dicerem in hac cauſa, bis enarratum experimentum habui animadverſum.

Sed jam ad nauſeam laſſi periti ſeveritatis, & pertinaciæ argumenta noſtra accuſant, & licet convicti fateantur, quod indicia ab iis poſita ſingillatim ſumpta probant nihil, collective tamen accepta ſuffocationem in diu vivente habitam aliqua ratione dicunt ſignificare. Quæſo amice agamus. Non excandeſcite. Petitis ut vobiſcum pronunciem viventem fætulam ſtrangulatam interiiſſe? interiit: experimentum pulmonum pro valido, & probante admittendum eſſe? admitto: linguam prominere, tumere, livere ex ſuffocatione? livuit, tumuit, prominuit. Sit ut vultis, Severus ne ſum, & pertinax? At ſi liberale officium, quod nunc vobis præſtiti, juſtum meretur, & poſtulat fructum, placide, & patienter quæ ſum dicturus attendite.

Strangulatio quælibet a corpore extrinſecus premente facta duplicem cognoſcere poteſt in actione cauſam. Eſt alia permanens, tranſiens altera. Sic cum quis jugulatur a fumo carbonum, (*a*) a fulminum halitu, a forti, & citiſſima compreſſione carotidum, a mercurii vapore, a cloacarum fœtore, inſtrumentum ſuffocatio habet tranſiens: ex adverſo tumores occupantes tracheam, aqua ſpiritum cohi-

hi-

(*a*) De ſuffocatione ex Gas Variar. Rer. Etmul. T. 2. pag. 136.

hibens, laqueus ſtrictim collo injectus inſtrumenta ſunt permanentia, quæ plura relinquunt poſt ſe. Videbimus enim (*a*) cutem in collo rugoſam, tumorem univerſæ faciei, capitis, & humerorum, rupturam plus minus tracheæ, vertebrarum colli diſtorſionem, maculas nigras hic atque illic per corpus ſparſas, linguæ exertionem multam cum oculis prominentibus, ſpumam, & mucum extra nares, & os effuſum, turgentiam cordis, & vaſorum, pulmonis infarctum, rubedinem, ſpumoſitatem, inflationem, denique vaſorum cerebri, & meningum ſive rupturam ſive enormem turgeſcentiam. Quæ ſuffocatio ab inſtrumento tranſeunte eſt, aut nulla dat ſigna, aut ſaltem levia, inter quæ tumor aliquis in lingua, vel circa collum nigredo; de reliquo vix dignoſcitur ſuffocans cauſa; nam cum citiſsima eſt actio, effectus primarius actionem conſequens eſt promptiſsimus, effectus verò ſecundarii, tempus, & ſpatium requirentes, ob velocitatem agentis haberi nequeunt. Patet hinc quod cum ſigna ſupra poſita, nec collective, nec diſtributive in fœtula noſtra animadvertantur, quin immo (*b*) nulla membrorum commaculatio, nulla cutis colli rugoſitas, nulla labis indicia in corde, & in pulmonibus (*c*), quæ pro indubitata notitia facti ponuntur ab auctoribus (*d*), reſtat dicendum firmiter a cauſa permanente, hoc eſt a laqueo, non interiiſſe puellam. Ergo ab inſtrumento tranſeunte occiſa periit. At a quonam? A funiculo umbilicali circa collum fœtæ implicito, cum in utero verſabatur, qui fauces filiolæ preſsit, & carotides premens ſubitò interemit eo tempore, quo miſella e vagina prodire tentavit (*e*). Ita aſſero, ita judico, neque id ad op-

(*a*) Rugoſitas colli cutis, aſperæ arteriæ dilaceratio, ſpumoſi ſanguinis in thorace collectio, hæc maxime diſtinguunt mortem per ſtrangulationem. Zacchia lib.10.conſ.19.

(*b*) Non fu trovato in veruna parte di quello alcun ſegno, o difetto eſterno. Proc. fol. 132.

(*c*) Oſſervaſſimo, che il cuore, ed i polmoni erano intatti, ed illeſi. Proc. fol. 134.

(*d*) Zacch. lib.10. conſ.19. ſupra cit.

(*e*) In quibus notandum, quod ſubitò, ſi ſtringitur laqueus, & anguſtantur vaſa ſanguifera, in momento omnis ſenſus, & motus pereat. Etm. T. 2. pag, 175.

opportunitatem pronuncio. Sententiam hanc firmant clar. viri, me anatomicorum evincit auctoritas, movet ratio, obſervatio ſuadet; quin immo parturientis noſtræ conditio, collocatio indebita, laceratio funiculi, frigus ambiens, animi pathemata occupantia ſententiam aperte confirmant. De quibus antequam dico, breviter nonnulla prænoto.

Nono circiter menſe qui fœtus in utero ſedebat, ut minus matris venter ad plenitudinem creſceret, capite, & collo inclinato, genubus verſus genas, calcaneis ad nates retractis, manibus vel demiſſis vel amplectentibus pedes, impatiens tandem anguſti carceris caput elevat, ſpinam dirigit, manibus, & pedibus nititur, huc, atque illuc volvitur, deorſum tandem ad os uteri prolabitur, capite, manibus, & pedibus ſurſum erectis (*a*). Supra caput fœtus circa fundum uteri firmatur placenta, quæ innumeras radiculas in chordam umbilicalem colligit. Funis hic (*b*) ſupra frontem embryonis naturaliter fertur, atque reflexus per occipitium decurrens, ut plurimum anteriore parte delabitur, & collum fœtus circumdans ad ventrem deſcendit, & in illo implantatur. Præterea (*c*) cum in ventre matris verſamur, non eumdem ſubimus ſanguinis circulum, ac cum nati ſumus, nam tum cruor a dextro ad ſiniſtrum cordis ſinum fertur per foramen ovale, nihil, aut certe parum per pulmonem excurrens; ex adverſo poſt ortum vix aer ſubivit pulmonum cellulas, ut, qua data porta, ſanguis ex antiquo deflectit itinere, & pulmonales cryptas pervadens inuſitatum, & novum circulum complet.

Qui-

(*a*) Situm hunc acquirit fætus quando ultimo tempore ſe incipit extendere, & invertere, capite inclinato, orificio uteri imminet, quod fit inſtante jam partu. Ethmul. pag. 876. t. 2.

(*b*) Jo. Helvvigius. Schroch. Harveus exercit. de partu apud Manget. Bib. Chir. T. 3. pag. 845. Ab Umbilico ſuper pectus progreditur, indeque interdum ad alterutram juguli, & cervicis partem ſive dexteram, ſive ſiniſtram oblique ducta circumflectendo ſe ad occiput per mediam frontem paulatim in placentam abit. Interdum in dextra cervice incipiens collum ambit, interdum quoque ſimplici hoc flexu collum velut torque involvit. Barth. pag. 311. lib. 1.

(*c*) Harv. de circu. ſang. Heiſter. comp. Anat. Verchi. de for. ovali; in Morii Animad.

Quibus præmiſſis, ut in viam redeamus, ordo poſtulat, & neceſſitas, ut Mariam Vanti alloquamur. Eja age. Accede infelix mater. Quo tempore, quo loco, quo poſitu, quibus auxiliis miſerum partum edidiſti? Edidi, reſpondet, noctu, gravi ſęviente hyeme, omni deſtituta auxilio, omni orbata lumine, omnium rerum ignara, humido, & frigido in lixiviario, prona jacens humi, perterrita, pudens, & vehementiſſimis concuſſa doloribus (*a*). Cur aliquam ex familia in auxilium non vocaſti? Gemebunda dolebam, contremiſcens clamabam, convulſa ejulabam, cum venit ad me Anna Raimondi Gaſparis mei domini ſocrus, cui licet ex indicato dolore mammarum, renum, laterum non levia dediſsem ſigna inſtantis partus, id ſum aſsecuta, ut ſomniculoſa ſe ſe eriperet, mihi afflictæ id tantum conſulens, ut prunis me caleſacerem (*b*). Cum fœtula ex utero in terram cecidit, ploravit ne illa? Naturales edidit motus? Umbilicum ſcidiſti tu? (*c*) Timui ne vagiret. (*d*) Leves, & incognitos perſenſi motus. Umbilicum non diſcidi. Perge mulier infelix: tua de verbis tuis cauſa in tuto eſt, quoniam juſtorum mortalium nemo opinari nunc poteſt te viventi filiolæ iniquam manum injeciſſe. Videte quæſo arte medica periti, obteſtor vos, num juſta mihi fuerit occaſio affirmandi fœtam, cum enitebatur, ſtrangulatam ab umbilicali funiculo interiiſſe. In mentem nunc revocate deſcriptum embryonis in utero poſitum. Cum partus dolores inſtant, & mulierem animi pathemata circuunt, & frigus undique pungit uterum, & nullus aſſidet pręgnanti, ut conſoletur, ut calefaciat, ut foveat, (*e*) quo in periculo verſatur fœtus ad uteri cervicem prolabens? Quod ſi accedat, ut ſitum partui naturali adverſum obtineat mulier, hoc eſt in ventrem (*f*) humi-

(*a*) Proceſſ. fol. 71.
(*b*) Proceſſ. fol. 48.
(*c*) Dubitando, che zigaſſe Proc. fol. 71. t.
(*d*) Non ſapendoli dire che moto faceſſe, Proc. fol. 72.
(*e*) Cum partus inſtat, laborare incipit, & in periculum venire cum in utero vertitur. Hip. de octim. partu.
(*f*) Unde ſuffocatio fit, ſeu ſtrangulatio ab aere, qui ſit æquo rarior, vel æquo denſior, frigidior etiam, & humidior. Bel. de morb. pect. p. 494.

midam, & frigidam attingentem terram, rigido irruente aere, (*a*) coxis, & cruribus in libera contractione poſitis, ſpatio inter terram, & vulvam vix relicto, ut fœtus ſine noxæ prodire poſsit, quæ incommoda patietur puer in utero vertens ſe ſe, (*b*) quæ damna ex convulſa uteri cervice collum ipſius in mora conſtringente, quæ pericula in exitu e pudendis? Profecto & concutietur ille in utero, & circum motus, ductuſque implicabit ſe ſe, eumque trahet, intricabitque funiculum, qui (*c*) naturaliter illius collo circumplicatur. Neque modo trahet, ſed vias præ ſummo frigore (*d*) anguſtas tentans vincere, vim tantam, & impetum exercebit, ut tandem aliquando exploſus ab utero lacerabit funiculum (*e*), & in actu exitus, aut paulo poſt ſtrangulatus ſubito morietur. Neque inconſulto hæc dico; Harveum legite (*f*) ſic pronunciantem: *Si itaque anteriore etiam parte delabatur, collumque circumdet, quia hac ratione brevior evadit, fœtum retrahendo, vel ſimul ſecundinam cum fœtu ad exitum rapiendo partum reddit difficilem, immo in ipſo egrediendi conatu embryonis fauces laquei inſtar conſtringit, eumque ſtrangulare poteſt*. Neque id ad poſſibilia tantum eſt referendum, ſi collis fœtuum circumductos umbilicales funiculos, ſtrangulatoſque viderint natos Thom. Barthol. (*g*), Rodericus Caſtrenſis (*h*), Bavhinus (*i*), Hildanus (*k*), ne alios dicam, quorum vel numerus integrum volumen impleret. Pro omnibus autem ſat aperte loquitur Bohnius (*l*), cum ait: *Accedit quod luctuoſa aliquando ſatis teſtatur experientia funiculum umbilicalem collo fœtus naſcentis*

 ita

(*a*) Ultimis menſibus quævis etiam vel levis commotio abortum facit. Tozzi in Aph 31. lib. 2. pag. 65.

(*b*) Uterus in partu ſe ſe colligit, & conſtringit ad excluſionem fœtus, & ſi nimia fuerit illa conſtrictio, ac fœtus corpus tenellum vehementer comprimat, eum ſuffocare poteſt. River. cent. 2. p. 487. obſ. 7.

(*c*) Funem per collum ducit, & ſupra frontem reflectit. Barth. l. 4. pag. 289.

(*d*) Aer nimis frigidus ad effectus ſpaſmodicos diſponit, & vaſa coarctat. Hof. T. 3. pag. 105.

(*e*) Acciò non veniſſe a tirare con violenza la ſecondina, e con eſſa la matrice, il che li cauſerebbe un gran fluſſo di ſangue, ovvero ſi potrebbe rompere il cordone. Mauriceù lib. 2. p. 109.

(*f*) Harveus exercit. de Partu.

(*g*) Lib. anat. refor. c. 27.

(*h*) Exercit. Med. 21.

(*i*) Apud Schenchium lib. 4. Aſ. med.

(*k*) Cent. 4. obſ. Chir. 57.

(*l*) D [illegible] de renunc. Vuln.

ita circumvolui, ut in ipſo hujus enixu incongrue tenſus illum brevi exſtinguat. Circum volvitur autem facillime, & grave mortis facit periculum, cum mater intempeſtivos, incongruos, præpoſteros agit motus (*a*); cum corpus tenellum aut ab utero, aut a vagina, aut a frigore vehementer (*b*) comprimitur; cum animi pathematibus maternis & ille urgetur (*c*); cum male decumbit parturiens (*d*); cum primipara eſt mulier (*e*); quæ omnes cauſæ cum Mariam Vanti in partu ſuo comitentur, quid probabilius, quam fœtulæ illius collum circumligatum, & ſtrictum a funiculo umbilicali vim fuiſſe paſſum vehementiſſimam, ut inde ſubita proceſſerit mors. Sed male probabilitatem quæro, cum certitudinem habeo; etenim ſi umbilicus cæteroquin robuſtus, tortuoſus, & craſſus diffractus eſt, nec mater, nec obſtetrix, quæ nulla erat, diſcidit, reſtat, ut ex fœtu laceratio ſit habita. Lacerari non poteſt niſi per vim factam ab ea corporis parte, circa quam volvitur; cum autem (*f*) collum id ſit, cui ſtat circumjectus, collum id fuit, quod contranitens niſui, occaſionem dedit lacerationi, de conſequenti fœtulæ (*g*) ſtrangulationi, quæ forte ſecuta non eſſet, ſi una cum filiola, & funiculo placenta erupiſſet, quoniam tum, vi reagente ceſſante, aut paucam, aut nullam fœtula circa collum preſſionem eſſet paſſa; cum au-

(*a*) Motus parturientis intempeſtivi partum retardant, cum illa, ubi opus eſt, ſtare, decumbere renuit, vel inopportune agitatur, unde contingit fœtum vel non poſſe exire debita figura, vel illam amittere ob matris motus præpoſteros. River. prax. med. lib. XV. c. 18. pag. 398.

(*b*) Caſus violenter concutiens, ictus ventris fœtum contundens, abdominis motus vehementes abortum maxime promovere. River. ibidem.

(*c*) Fœtum enecant animi commotiones graves, ut ira, triſtitia, terror &c. Riv. lib. 15. c. 17. pag. 396.

(*d*) Lectum jubeto ad caput ſublimem habere, ut declivis ſit in pedes, animadverſione habita, *ne prona* ſit Homo. Hipp. juxta verſ. Marin. pag. 103. lib. 9. de Morb. mulier.

(*e*) Ex puerperis maxime laborant primiparæ. Hipp. lib. de nat. pueri.

(*f*) Ex parte fœtus fit laborioſus partus, ſi funiculus umbilicalis, qui cingit communiter frontem fœtus, aliquot gyris ſit circa collum circumvolutus ita, ut quaſi laqueo ſuffocandus prodeat. Caſus eſt ſane periculoſiſſimus. Etm. T. 2. pag. 883.

(*g*) Reſtando intortigliato con alcuno de' ſuoi membri il tralcio umbilicale, queſto ſi fa breve &c. e in tale incontro è grande il pericolo, che reſti ſuffocata la creatura. Mell. lib. 3. pag. 297. c. XI.

autem (*a*) quæ ſecundinæ dicuntur, multo a partu tempore exierint, umbilicuſque in actu parturitionis lacerationem ſubierit, id in confirmatis habemus, quod ſupra probavimus. Nil igitur mirum, ſi nata fœtula nullam emiſit vocem, nullum ploratum, nullum vel leve ſuſpirium, quod, me judice, maximum argumentum eſt, ne tantillum quidem, ante laquei impoſitionem, vixiſſe: etenim ſi fœtus robuſti, ſani, nihil in partu concuſſi, ab obſtetricibus collecti, calefacti, cooperti ſubito vagiunt, plorant, ejulant, quos promptos, & repetitos ploratus noſtra edidiſſet nata, tanto labore enixa, tantis concuſſionibus agitata, tanta vi exploſa, tanto percuſſa frigore, tantis in circumſtantiis poſita, in quantis vel robuſtus homo ejulaſſet? Nec fœtulæ debilitatem accuſetis velim, nam etſi forte languor, & labor altum cohibere ploratum poſſent, omnem tamen, & ſenſibilem voculam impedire non poſſent; aer ſiquidem irruens in pulmones, frigus, indebita contrectatio, & quæ aliæ ſupra poſitæ ſunt cauſæ neceſſario graviſſimum dolorem inducunt; dolor autem ſupra laborem eſt, & voces, & gemitus elicit e defatigatis etiam corporibus. Neque audiendæ ſunt hac ſuper re temerariæ, & inſipientes obſtetrices, quæ ut ſæpe gravidarum crepitus pro uterino fœtus vagitu habent, ſic vere vagientes pueros ſæpe non advertentes, neceſſitatem ploratus ad vitam fœtuum aperte negare audebunt. Audiatur potius hac ſuper re Ariſtoteles (*b*), audiatur Avicenna (*c*), & ex recentioribus teſtimonium det Melli (*d*), qui omnes, niſi *ſubitum*, dico *ſubitum*, ejulatum audiant, fœtus extinctos jam judicant.

Sed quid in his immoramur? Inconcuſſum, ut arbitror, firmumque ſtat puellam noſtram nihil a nativitate vixiſſe, ne per momentum quidem temporis; & ſi, vel

(*a*) E vi buttai anco dell'altra robba, che feci dalla natura, dopo di detta creatura. in Proc.

(*b*) Naſcuntur pueri ſecundum naturam verſi in caput, qui cum exierint vocem *ſtatim* emittunt. Ariſt. de Hiſt. anim. lib. 7. c. x.

(*c*) Nam fœtus ipſe neque ullam vocem emiſit, neque ejulatum, nec reſpirare obſervatus fuit. Quibus ſignis abſentibus fœtus vitalis (hoc eſt vivus) eſſe non poteſt. Avicen. 23. 2. Tract. 1. cap. ultim.

(*d*) Li Uomini tutti entrando nel mondo ſalutano la vita col pianto. Melli lib. 2. c. 9. pag. 233.

nullum argumentum pro theſi mea eſſet, hoc unice valeret, enixam fœtulam naturales motus non edidiſſe. At movetur. Non inficior; ſed id vobis peritis probandum incumbit, motus eos de naturæ conſtanti lege fuiſſe inſtitutos. Oculos ne diducebat fœtula? Digitos ad palmas componebat? Pulmones exercebant ſe ſe? Cor pulſum, & repulſum movebatur? Os aperiebat nata? Crura, & brachia retrahebantur naturæ lege? Partui non adfuimus, reſpondent Curiæ periti, & vel etſi adfuiſſemus, noſtrum non erat hæc ſingula animadvertere. Movebatur fœtula, hoc ex confeſſis: ergo vivebat, hoc ex dialecticis. Movebatur, ergo vivebat? Movetur aqua, aer, ignis, ne dicam terra, molæ molendinariæ, ſerpentes diviſi (*a*), ranæ exenteratæ (*b*), corda cadaverum (*c*), canes mortui (*d*), carnes mactatorum vitulorum (*e*), ergo vivunt? Ubinam gentium hujuſmodi viget præpoſtera dialecticorum ſapientia? Agite, agite, & meliora proferte. Ut vere probetis puellam hanc motu viventis vere naturaliter ſe ſe moviſſe, reſpirationis ad minus, (*f*) & pulſus indubitata habenda eſt ſcientia, quæ ſi deficiat, pro nullis habendos eſſe reliquos alios incongruos motus arbitror, qui ut morientis fœtulæ, contremiſcentis, & convulſæ eſſe poſſunt, ſic in ipſa de cætero extincta poterant de facili accidere. Nobis etenim, vel morientibus, vel adhuc mortuis reſtant in fibris (*g*) igniculi quidam coerciti, qui aliquando levi de-

cau-

(*a*) Bagl. diſſ. 4. de exper. circa ſang.

(*b*) Bagl. diſſ. de exp. Anat. exper. 11. pag. 441.

(*c*) In Homine mortuo auriculæ dexteræ cordis motus eſt reſtitutus. Bruner. Tract. de gland. duodeni.

(*d*) Canibus, qui thorace diſciſſo vere mortui ſunt, vita ad tempus reddi poteſt. Hof. lib. 1. cap. 2. pag. 44.

(*e*) Carnes vituli recenter mactati tremunt per aliquot horas, contrahuntque ſe ſe. Fort. Licet. lib. de ſpont. viv. ortu c. 149.

(*f*) Donec vivit homo venæ apertæ ſunt, & ſuſcipiunt, & dimittunt humorem, ubi vero mortuus fuerit clauduntur, & extenuantur. Hipp. lib. 4. de Morb. Puer. 11.

(*g*) Sive homines, ſive feras, ſive inſecta quælibet, & ſive illorum corpora conſideres, vel poſt mortem, vel dum vivunt, ſemper habent aliquid non in ſuperficie corporis, ſed in ipſis etiam penetralibus corporis, & viſcerum, quod in contractione, ac diſtractione eſt. Bel. de contr. nat. p. 21.

Santor. de fib. motr.

Bagl. de elaſt. fibræ.

Borel. de motu muſcul.

cauſa permoti, evolutique elaſticas fibras ad quoſdam retractionis motus ſollicitant. Hinc probe conſuluit Balbus (*a*) non ſatis teſtes aliquos probaſſe de vita pueri, etſi labia, & brachia moviſſet ille. Noſtro autem in caſu qui motus ſunt habiti? inordinati profecto, & ſine lege, frigore (*b*) undique convellente pueram, & puerperam, (*c*) matre non cognoſcente, an motus tales ad naturam referendi eſſent, an vero ad recentem mortem. Ergo concludendum judico verbis Zacchiæ (*d*): *Motus hi ſigna morientis fœtus ſunt, non viventis, immo non morientis, ſed jam mortui, cum in ipſis mortuorum cadaveribus ſimiles motus, & his evidentiores obſerventur.*

Noſtræ finis hic eſſet defenſionis ſuſceptæ, niſi Curiæ periti recolligentes, quæ diximus, arma in nos verterent, quæ niſi declinaremus, nondum in tuto cauſa eſſet. Itaque ſic eos mecum alloquentes audire videor. Quam ex funiculo umbilicali ſtrangulationem vis, ultro concederemus, ſi & in pulmonibus, & in thorace fœtulæ ſpumoſitas, aut turgeſcentia aliqua apparuiſſet; tu enim ferme hoc unice ſignum pro indubitata notitia ſtrangulationis poſuiſti: hinc cum tu ſtrangulationem per laqueum neges, ex quo pulmones intacti a nobis inventi ſunt, ſic pari ratione nos ſuffocationem ex funiculo umbilicali negamus, cum nihil ſit in pectore, quod hanc ipſam ſignificet. Quapropter, ut tu ex nobis nullam facis reæ ſuppoſitæ criminationem, ſic nos de verbis tuis nullum eidem factam judicamus defenſionem. Præterea -- Siſtite parumper, ut a præjudicata opinione vos liberem. Tam ſubito veſtra e mente evanuit ea circulationis lex, quæ contingit in fœtu, cum eſt in utero, ab illa omnino diſſimilis, quæ nobis accidit extra uterum poſitis? In memoriam revocate ſanguinem fœtuum pulmones non pervadere, in natis vero viventibus undique vaſa, cellulas, cryptas pulmonares perluere,

(*a*) Zacch. lib. 10. conſ. 67. p. 293.

(*b*) Aer frigidus infanti a tepentibus locis exeunti valde noxius eſt. Riv. Prax. med. lib. 15. c. 17. pag. 398. Frigus in muſculis thoracis, & etiam in nervis facit duritiem quamdam, & motum ſimilem convulſioni. Galen. com. 6. Aph. 54. ex 53.

(*c*) Non ſapendoli però dire, che moto faceſſe. Proc. fol. 72.

(*d*) Zacch. lib. 10. conſ. 67. pag. 293.

re, & in illis libere exundare (*a*). Intelligetis tum quodnam interſit diſcrimen inter ſuffocationem factam cum jamdiu reſpiraverit homo, ac inter illam cum vel nullo modo, vel ad breviſſimum temporis ſpatium ſpiritum duxerit. Primo ſiquidem in caſu ſanguis in pulmonibus ex jugulante cauſa interceptus, multo aeri mixtus ſpumam neceſſario facit, & tumorem elevat in thorace, ex adverſo in fœtu, etſi intercipitur, viam alio per foramen ovatum adhuc apertum ſibi quærit, nullumque moræ indicium dat in pulmonibus. Ex quibus in aperto eſt poſitum, quod ſi nihil ſanguinis ſpumeſcentis inventum eſt in pulmonibus fœtulæ, hæc in actu exitus ab utero ſuffocata interiit, alias ſi aliquantulum extra uterum vivens moram traxiſſet, indeque jugulata periiſſet, aer permixtus ſanguini in cellulis pulmonaribus judicium non leve dediſſet obſervatoribus. Ergo extincta puella noſtra eſt priuſquam libere reſpiraverit; ergo non a matre laqueo collum ſtringente poſtquam exivit ab utero. Nam & mulier prona jam ſe ſublevavit e terra, & puellam jacentem reliquit humi, & circumcinctam lateribus tunicam ſolvit, & fortem ex lino zonulam ambabus divulſit manibus, & collo injecit, & nodo firmavit, & egit hæc omnia in tenebris, timens, contremiſcens, & laſſa; (*b*) quæ omnes actiones cum non breve tempus requirant, ſi fœtula vivens nata fuiſſet, repetitas inſpirationes, & expirationes obiiſſet, eæque pluſquam ſatis fuiſſent ad ſpumoſitatem, ad infarctum, ad tumeſcentiam inducendam in pulmone impedito.

Quid caput quatitis, quid ſubridetis accuſatores? Falſum ne aliquid, vel minus firmum pronuncio? Neutiquam, ajunt, ſed alia longe majora reſtant ſuperanda. Proferte omnia. Sit, inſtant, ex umbilico circa collum intorto ſtrangulatio? an non peccavit mulier, ſi voluntariam huic ſuffocationi occaſionem dederit? Prona jacuit humi, peperit in frigido lixivario, preſſit ventrem, inordinate concuſſit ſe. Hæc omnia incommoda poterant ex arbitrio evitari. Inde laqueum collo filiæ impoſuit: hoc ſaltem non
eſt

(*a*) Legatur Merii diſſ. de For. ovali, & Verehin. Animad. Anat.

(*b*) Proceſſ. fol. 73.

eſt tentare mortem? Præterea, cur natæ umbilicum non ligavit? Hac ſine ligatura moriuntur homines. Denique argumenta a te hucuſque prolata dubiam (ultro concedimus) faciunt rem, certitudine tamen, & evidentia non firmant animum. Teneo vos: dirempta lis eſt. Dubiam faciunt rem? quin immo certam. Sed dubiam faciant: hoc ſatis, & pluſquam ſatis. Cum capitis cauſa agitur, palpare manibus delictum, probationibus manifeſtis niti, in aperta re verſari oportet, & ſi nutet animus, & vel ſit tantillum, quod in varias partes mentem trahat, parcendum ſanguini, & obtemperandum nobis ipſis dubitantibus eſt: hinc ſi argumenta noſtra dubitationem injecerunt, hoc, repeto, ſatis eſt ad cauſæ defenſionem. Quamobrem ad ea, quæ paulo ante tetigiſtis, breviter, & curſim ſic reſpondeo. Quod voluntati datis, neceſſitati tribuo. Morbus non arbitrio ſervit, ſed ſibi ipſi, & naturæ reluctanti, & cogenti. Mulier preſſit ſe, incongrue jacuit, objecit ventrem frigori, peperit præpoſtere, concuſſit membra. Cedo. Sed quod minus poſſet, probate; etenim ſi homo graviter maxillis dolens ſæpe tenere ſe nequit, quin caput demens impingat in murum, quid non aget parturiens mulier, derelicta, convulſa, ignara, doloribus omni corpore lacerata? Utinam Anna Raimondi Gaſparis ſocrus, quæ, ut dictum eſt, ſomniculoſa ſe ſe eripuit, adfuiſſet. Huic infelix mater vitam ex animo filiolæ volens, indicavit ventrem, mammas, dorſum, & latera circumcirca dolentia, ſed muſſitatum conſilium obtinuit, non vero illud, quod deſiderabat auxilium. Si autem in Mariæ Vanti animo habitaſſet ſcelus, non peccati ſui teſtimonium ex Anna petiiſſet.

At tentavit mortem, cum laqueum collo natæ injecit. Non adeo ſum pervicax, ut negem omnia. Ergo homicidium patravit mulier? Arbitror quod non; nam cum uſque adhuc de vitæ exiſtentia ante laquei impoſitionem nihil per vos probatum, & concluſum ſit, quin immo oppoſitum, videtur mihi mulier noſtra veſpilloni aſſimilanda, qui ſi ex animo cadaver percutit, & vulnerat, non homicidio peccat, nec ea de cauſa morte dignus cenſetur a gravioribus Juriſperitis.

De-

Demum, quod attinet ad umbilici devinctionem omiſſam, breviſſime expedio rem. Officium hoc ignorabat, & in primipara pro ignoratione præſumptio eſt. Nulla erat neceſſitas umbilicum vinciendi in fœtula in actu enixus extincta; et ſi vixiſſet, non eam habet neceſſitatis legem ligatura hæc, ut ſine ipſa ſana, & vegeta puella vivere nequeat, tum quod umbilicalia vaſa contorta difficilem faciunt ſanguinis effuſionem, tum quod funiculus longe a ventre diſruptus, aut diſciſſus parum cruoris mittit, tum quod plures naſcuntur homines, & nati ſunt, qui extremam vixerunt ſenectutem ſine hac ligatura; filiis ſiquidem Evæ umbilicum, quod ſciam, nec mater ſtrinxit, nec obſtetrix; tum denique quod ex animalibus nulla vitam a funiculi ligatura cognoſcunt.

A primo itaque ad ultimum ſatis conſtare arbitror, nec vim Mariam Vanti viventi intuliſſe, nec homicidium ullum perpetraſſe: ſi enim homicidium eſt injuſta, & voluntaria hominis viventis cæſio, qui cadaver percutit, vulnerat, jugulat, homicidium committere non eſt dicendus. Fætula obiit ſtrangulata a funiculo umbilicali, ut auctoritas evincit, ut ratio ſignificat, ut obſervatio declarat, ut ploratus non editus poſt nativitatem, ut motus naturales non habiti evidenter ſatis commonſtrant. Nec vox peritorum audienda eſt, nam & peritia vario tempore inſtituta graviter nutat, & vita fœtulæ non ſatis probata eſt per ſigna æquivoca, per rationes communes, per experimenta fallacia. Quæ omnia ut pro veritate a nobis probata ſunt, ſic pro piorum clementia Judicum certum aſſenſum poſtulant, & expectant.

EVENTUS.

Capitis abſolutam perpetuo carceri Mulierem Judicum urna condemnavit.

Pro

Pro Viro de intentato Uxori veneficio accuſato.

ARGUMENTUM.

DE Agatha uxore perimenda conſtituiſſe dicitur Petrus Antonius Poggi, alienæ mulieris amore captus, propinato veneno. Eo ſuſcepto, quæ prius bono eſſet habitu, & bene valeret uxor, celeriter oppreſſa fuiſſe oris, & faucium ardore permoleſto, nauſea, vomitu, ſiti, doloribus abdominis, diarrhæa, defectione virium, totiuſque deinceps corporis æſtu, ac febre. Unus interceſſerat dies, cum in hiſce cruciatibus Agatha verſabatur, nullo uſa remedio præter theriacam, & nonnullos hauſtus aquæ puræ. Poſtero die Medicus ad eam venit, quam ſuſpicatus ex veneno doloſe tradito ægrotare, porrecto oleo amygdalino curare cœpit, tum lacte bubulo, dein pulveribus ex cryſtallo montana, & lapide bezoar ordine ſuppeditatis. Veneficii rumore in vulgus diſſeminato forenſe judicium inſtruitur. Periculoſum morbi genus, delata veneni ſuſpicione, & conjectura, fatetur Medicus, quin etiam mortem facile allaturum, niſi de ope medica celerius proviſum fuiſſet. Illius enim originem ad pernicioſiſſimum veneni genus, (*a*) *arſenici*, *aut ſublimati* ſimile, revocabat. Petit Agathæ domum judiciarius quæſitor. Rudi expoſtulatione, ſine perito, ſine teſte, eam percunctatus, de primordiis mali, & accidentibus admonetur. Intelligit circa meridiem viceſimæ primæ diei menſis Julii, pulmento ſumpto, male torqueri cœptam eſſe. Ante id tempus bene habuiſſe. Vereri eam, ne a fæniculo viridi, quod horam fere ante prandium comediſſet, aut minutis oleribus pridie veſperi ex acetario comeſis in cœna, ob virulenti quidpiam eis forſitan

(*a*) Come ſarebbe di ſolimato, o coſa arſenicale. Ex Medici renunciatione.

interjecti, valetudinis incommoda dimanarint. Hujuſmodi accepta narratione diſcedit. Conjectus in carcerem Petrus Antonius conjux aperit non invite malitioſa conſilia uxoris interimendæ, ut aliam, cujus amore urebatur, ducere poſset. Simulata necandorum murium voluntate, venenum, adjutore certo homine ſibi noto, & familiari, a negotiatore ſe coemiſſe dicit; cujus vim expertam in fele cum inanem, & irritam deprehendiſſet, aliud melioris notæ ab eodem negotiatore retuliſse diſſectum in fruſta, (*a*) *exquiſitiſſimi arſenici ſublimati* nomine deſignatum. Hujus in pulverem comminuti particulam, quæ (*b*) *tabaci* pulviſculo, dum in nares attrahitur, ſummis digitis excepto æquiparari poſsit, atque ab (*c*) *argentei nummi parte duodecima* ſuſtineri, farreo pulmento admixtam uxori in prandio propinaſſe. Qua confeſſione quaſi res ob oculos poneretur, quæſitori, & Judici curæ non fuit, ſuppoſiti arſenici exemplum de manu emptoris, & negotiatoris acceptum recognoſcere, certioremque facti notitiam ab utriuſque vocibus diligentius extorquere. Materiæ etiam illius, quam evomuit, & dejecit alvus laborantis fœminæ, omiſſa cognitio eſt, quæ minime omittenda videbatur, cum ad ſcrutanda veneni veſtigia conferre poſſe videretur. In eo fuiſſe uberes viſi ſunt, quod binis præterea Medicis in quæſtionem vocatis judicium inſtaurari voluerunt, ſingulis ſeparatim dicere juſſis, num, & quonam ſpeciatim veneno inſidiatum uxoris vitæ maritum fuiſse arbitrarentur: quanti ponderis æſtimarent arſenici pulviſculum tabaci modo ſummis digitis excepti, quem baſis duodecimæ partis argentei nummi continere poſsit, quantumque momenti, ac virium ad necandum habere. Sententia utriuſque eadem fuit, id ipſum, quod Medicus primum rogatus, ſententis, eique annuentis. Fœminam quidem ab eſu venenatæ pultis morbum incurriſſe periculoſum, læthalem; demptaque Medici ſuccurrentis opera, ægram facile interemptu-

(*a*) Arſenico ſublimato, e del piu potente. Venditoris verba.

(*b*) Come una pizzicata ordinaria di tabacco, che potea andare ſopra un groſſo monetato d'argento. Mariti emptoris verba.

(*c*) Groſſo, o moneta di cinque ſoldi.

pturam. Propinatum venenum cauſticam, depaſcentemque arſenici acrimoniam præſeferre: duorumque circiter ſcrupulorum, vel ſemidrachmæ pondus obtinere arſenici menſuram illam, quæ argenteo nummo jam dicto inniti poſſit. At mortiferam ejus vim ancipitem, ac dubiam remanere, propterea quod alia, atque alia eſt corporum temperies, & habitudo: aliud enim alio robuſtius largiorem aliquam illius doſim impune haurit, & ſuperat; languidius aliud exiguus aliquot granorum numerus proſternit, & conficit. Interea remittente morbo paulatim erecta mulier, atque in dies firmior reddita tandem convaluit. Verum tamen ejus vir, rebus jam dictis in cauſa, judicioque patefactis, flagitioſi criminis author arguitur.

DEFENSIO.

QUam pro Petro Antonio Poggi ſuſcipimus, defenſioni propoſitum eſt, non omni ut pœna abſolutus dimittatur, ſed ne illius vita ſupplicio ultimo condemnetur: nam nec improbæ fraudis vitio audaciora ejus conſilia caruerunt; nec tamen audacia, & dolus, quibuſdam ignorantiæ quaſi velis obductus, exploratum, & certum uxori periculum mortis injecit. In periculis capitis accuſatio firmiſsima delati criminis argumenta deſiderat: defenſio moderato judicio, & perhumano contenta eſt. Etenim non modo juris, & æqui ſcripta ratio, ſed ipſa humanitatis, & naturæ lex jubet, ea quæ in cauſa reo patrocinantur, in judiciis ad ſalutem valere; quæ autem officiunt, & ruinam portendunt, certiſsima, & luce ipſa clariora eſſe oportere. Malitia & fraus, quæ in Poggi cauſa verſata eſt, neque tam fuit abdita, quam erat celanda; neque tam fuit aperta, quam rei veritas aperienda. Nequiſſimum conſilium necandæ uxoris altius in animo coercendum fuiſse fateor, quin etiam in primo cogitationis aditu opprimendum, & ſuffocandum: ſed hactenus conjugio potius contumelioſum extitiſſe conſtat, quam conjugis vitæ pernicioſum. Quod ubi inflammatum ardo-

re libidinis effrænatæ impulit hominem cæco impetu ad coemptionem veneni faciendam, ſeverius evaſiſſe non nego: ſed operæ pretium eſt luculenter ſcire quo pacto venenum quæſitum ſit: ubinam emptum: a quo traditum: emptique veneni quæ vis, & natura fuerit, non ignorare.

Venenum emiſſe dicunt, adjutore certo homine proxeneta, in apotheca a publico negotiatore. Expertum in fele expectationi defuiſse, neque pro veneno comprobatum. Icciroo ad apothecam reverſum, novum ſibi comparaſſe venenum pro arſenico nocentiſſimo ab eodem negotiatore venditum. Mihi adeo involuta videtur iſtiuſmodi emptio veneni, ut neque invenire illius initium ſciam, neque exitum evolvere. Nam illud primum requiram: venenum revera fuerit, an non, quod primo dedit emptori venditor? Si non fuit; cur ergo pro veneno dedit? Si fuit; qua de cauſa expertum in fele vim ſuam peſtiferam, & exitialem non exercuit? Perquiram deinde ab accuſatore, quem teſtem habuerit emptio fide dignum? quem licitatorem non imperitum? quem arſenici egregium æſtimatorem? Emptorem ne dicet? qui rudis animo, mente cæcus rem ſibi penitus ignotam mercaretur? An adjutorem emptoris? qui ſciret tantummodo mercis locum, mercem neſciret? Negotiatorem fortaſſis proferet? At quem hominem? Scilicet mercatorem venalitium, qui in judicium vocatus ſpecimen peritiæ ſuæ haud ſane luculentum dederit. Nec mirum: ſolent enim ejuſmodi negotiatores pingui minerva judicare de iis, quæ bona fide mercantur a mercatoribus, ut vendant cum quæſtu, in lucri ſpe magis, quam rerum ſcientia ponentes judicandi modum. Et porro venditor ille quam rationem habere poterat arſenici æſtimandi, ut & arſenicum eſſe ſciret, quod primo emptori vendidit, & felibus æque perniciofum ac illud, quod in altera venditione porrexit? Negabit æſtimatione ſe uſum in prima? Imperite ſe geſſiſſe negare non poterit. Affirmabit in altera? Nemo quidem gravis, & æquus judex gratis admittet; ne id credidiſse homini inconſiderato, non rei veritate comprobaſse videretur. Reſpondere etiam cogam

gam Tribules, & miniſtros Curiæ, cur traditi arſenici exemplum adferri non curaverint ad tribunal, & conſpectum Judicis? cum & poteſtas eſſet (nam exempla ſupererant apud emptorem, & venditorem), & referret magnopere idipſum, ut & comprehendi accuſatus in verbo, & res ipſa multorum objecta oculis facti rationem apertius teſtari poſſet. Eſt boni Judicis omnia circumſpicere, nihil præterire notatu dignum in cauſis; ex minimis etiam rebus colligere argumenta uniuſcujuſque criminis aut conſtituendi, aut extenuandi, aut removendi. Potuit Judex audita veneficii criminatione ſtatim jubere deferri ad ſe ſe reliquias, quæ dicebantur arſenici dati, & accepti: eas committi peritorum judicio, atque ab emptore, & venditore recognoſci. Potuit mittere, qui materiam vomitus, & diarrhææ, cum reiiciebatur a fœmina, diligentius inſpiceret, quibuſnam eſſet aſperſa notis; aut qui prudenter notatam a Medico æſtimationis non ignaro, & perceptam in acta tranſcriberet: imprimere enim nonnumquam ſolent venena infuſa corporibus characterem quempiam, & verſicoloribus notis inficere purgamenta alvi, ſubcæruleis, atris, cinereis, ſubrufis; arſenicum vero ex albo fere, & rubro miſtis: quas tamen ſubviridi colore ſaturas prodiiſſe in hoc caſu extra Judicis ſedem auditum eſt. Hæc omnia jubere, & aſſequi potuit Judex in initiis, abjecta cunctatione. Potuit vero? quinimmo debuit omnino: cum & nihil obſtiterit, quo minus authoritate, & mandatis libere uti poſſet, & ejus officii interſit, ut ante monuimus, cuncta minutis calculis perſcrutari, diſcutere, reperire, ad ferendum judicium limatum, & ſincerum, ut ſine fallacia crimen ſtatuatur, & ſine atrocitate pœna irrogetur.

Criminatio igitur argumentis a teſte, a cognitore rei, a re ipſa certiſsime ductis deſtituta quam eſt infirma! utpote ab iis ſignis, quibus illuſtrari veritas ſolet, ad conjecturam, & divinationem traducta. In crimine obſcuro, cujus inſimulati cauſa in magno diſcrimine verſetur hominis vita, lex æquitatis jubet veſtigia rei involutæ, ac deliteſcentis Judicem odorari venatici canis more, perſequi, diſcriminari, nec ante quieſcere, quam e

la-

latibulis erutæ illius facies in apertam lucem emerſerit. Fingamus (non ad conflandam quidem reo invidiam, ſed ad conſuetudinem judiciorum inveſtigandam) fingamus, inquam, mulierem, cujus per veneficium tollendæ ſuſpicio jam per hominum mentes pervagata eſt, periiſſe. Quid tum? odoraturum cauſas interitus Judicem arbitremur, leviter preſſo veſtigio, non quam ſagaciſſime indagaturum? Immo vero ingreſſus in cauſam pleno gradu volet cadaver mulieris, ſi forte humatum fuiſſet, effodi, diloricari, diſcindi, a rei phyſicæ cognitore luſtrari undique, diligenter, penituſque introſpici, circumſpectantibus oculatis teſtibus, & ſigna, quæ ſolent eſſe indicia veneni, religioſe indicari, atque in tabulas librariorum manu referri. Hanc tantam ſagacitatem, ſi tum propter ſuſpicionem facinoris, & cauſæ magnitudinem non omitteret Judex, ne nunc quidem propter obſcuritatem criminis, & judicii gravitatem debebat omittere. Quid ita? quia ſi perſpicuis, & evidentibus ſignis percipi unaquæque res valet, conjectura pendi non debet, qua nihil incertius, dicente Tullio (De Divinat.), ſi in varias partes dici, & nonnumquam etiam contrarias poteſt; neque in vitæ periculis æquum eſt, non percepta oculis, & quaſi manibus comprehenſa veritate, ad judicia ferenda deſcendere.

Sed ajunt in re non dubia argumentis adeo elaboratis opus non eſſe: quod enim feciſſe reus confitetur, quis neget factum eſſe? Venenum quæſitum, una cum farreo pulmento uxori datum maritus aſſerit, uxoris morbus confirmat, quæ cum bene valeret, eo ſumpto, derepente angitur magno cruciatu oris, & faucium, nauſeat, vomit, deiicit, debilitatur animo, frangitur, exardeſcit, atque in magnum diſcrimen vitæ conjicitur. Hæc procul dubio eſt vox veritatis prodentis inſidias veneni doloſe traditi, quam vel ab invito audiri neceſſe eſt.

Verum tamen de veritatis voce nimis confidenter judicant, qui nondum veritatem de facie norunt. Teſtimonium confitentis rei ſe habere dicunt. Non eſt ſatis ad rem; quinimmo nullius eſt pretii, ſi venenum, quo dato maritus conjugem necare cogitavit, venenum revera fuiſ-

ſe

ſe non docent. Hoc ſepoſito documento veritas in occulto latet, neque patefit veneni ratio, ſed fingitur. Doceant ergo patefactum, expreſſum, propriiſque notatum ſignis venenum fuiſſe. Afferant cognitores, & teſtes conſcios veritatis, juratos, probatæ integritatis, & fidei. Neminem unum producunt? Non habet igitur eam vim, quam putant, confeſsio illa; neque, ſi omni pœna non liberat confitentem reum, ad præjudicium capitis illi obeſſe debet: id enim perinde ut non factum cenſeri decet, cujus faciendi cauſa, quid ſit, quod uſurpatum fuerit, ignoratur.

At enim mulier, cum bene valeret, e veſtigio peſſime ægrotavit, periculoſiſſimeque in confinio vitæ verſata eſt. Quid tum inde? Parumne multa ſunt, quæ ſive caſu, ſive conſilio admiſta cibis, ſive pro medicamentis ſumpta bonam valetudinem ſtatim evertunt, & in præſens periculum vitam coniiciunt? Helleborus albus, a veteribus, præſertim Græcis in medicinam receptus, ſuperiora, & inferiora vehementer purgat, guttur, & pectus ſtringit, mentem perturbat, momento fere vires atterit cum tremore totius corporis, eſtque læthalis, docente Hippocrate (a), ex eo convulſio; & liberalius datus mortem accelerat. Quemdam laborantem, cum ſumpſiſſet hellebori ſeſquidrachmam, mortuum refert Ponzettus (b). Quid opinione hominum ſalubrius, quid uſitatius ſalvia? quam tamen peſtifero afflatu ita inficiunt rubetæ, ut mortiferam reddant. Hominem quemdam, (c) ſcribit Mizaldus, amatorie ludentem in horto cum amaſia juxta ſalviæ fruticem, foliis ejus fricaſſe ſibi gingivas, & dentes, & illico mortuum concidiſſe. Veneficii cum argueretur, ut ſe purgaret Judici, amaſiam ejuſdem ſalviæ foliis pariter fricatis dentibus obiiſſe. Tunc mandato Judicis planta radicitus evulſa, prægrandem rubetam ſub ea repertum, qui illuvie, & halitu impuro eamdem polluebat. Ob ſalviam item

(a) Hipp. 5. Aphor. 1.
(b) Apud Sennert. lib. 6. part. 7. cap. 1. de Venen.
(c) Mizald. apud Sennert. de Venen diff. lib. 6. part. 5. cap. 2.

item buffonum pollutam ſordibus mortuos narrat Paræus (*a*) non procul a Toloſana urbe, mercatores duos poſt potionem vini, ſalviæ foliis recentibus non lotis præparati; egregio ſane monito, nec ſalviam, nec ſalviæ comitem rutam, licet venenata animalcula dicatur abigere, illotam umquam cum cibis, potionibus, medicamentis ſumendam. Qui cicutæ radice veſcuntur pro radicibus paſtinacæ, petroſelini, decepti foliorum ſimilitudine, in furorem aguntur, inſaniunt, ſingultu, ſuffocatione, torpore tenentur, corpore intumeſcunt, moriuntur. Ob cicutæ folia petroſelini loco ab inſcia ancilla juſculo incocta mortuum refert Julius Cæſar Scaliger (*b*) magiſtrum præceptoris ſui: et cicuta quidem ſublatum e vivis Socratem ferunt. Quam diros cruciatus, vomitus, diarrhæas ſæpenumero procreant fungi, qui familias quandoque integras necant? Quot, & quam miſeros caſus excitant erucæ, aranei, & peſsima quædam animalcula oleribus, fructibus, dapibus interſperſa? Quas turbas non commovet tartarus emeticus, vitriolum, metallorum crocus? Profecto hæc, & ſexcenta alia, quæ enumerare non vacat, præclare comprobant actiones, & qualitates non paucas, non tam venenis ex quovis naturæ regno depromptis, quam rebus aliis, & cibis, & pharmacis etiam quibuſdam communes; nec majori fiducia præſumi poſse, fœminam benevalentem propter arſenicum hauſtum cum pulmento farris male habuiſſe, quam propter fœniculum viride, quod hora una ante prandium, aut minuta olera, quæ pridie veſperi comeſſet in cœna. Hujuſmodi controverſias conjectura non dirimit, ſed ut ſedentur, a præſentia quæſitæ rei, atque ab eruditis in eam defixis oculis, ut incorruptis teſtibus, veritatem exigunt.

Quid quod etiam ſolius naturæ vitio venena corporibus innaſcuntur, quæ prius latentia, poſtea ſubito mota pro venenis extrinſecus hauſtis imponunt? Jam hoc nemini novum eſt, primiſque Medicinæ Patribus perſpectum & co-

(*a*) Paræus ex Sennert. loc. cit.

(*b*) Scaliger apud Sennert. Pract. lib. 6. part. 7. cap. 6. de cicuta.

& cognitum, homines bene ſanos extemplo in morbos incidere, ſymptomata, & ſigna venenorum ſimillima, & maxime gemina circumferentes; quorum ſemina paulatim coeuntia, donec acervatim appareant, ut ait Hippocrates, diutius in venis latuerunt. Appoſite in rem cadit exemplum choleræ prolatum ab ipſo Hippocrate (*a*). *Athenis*, inquit, *virum cholera corripuit: vomebat, deorſumque egerebat, & dolebat; & neque vomitus, neque per alvum ſeceſſus ſiſti poterat, & ex lecto moveri non poterat, & oculi caliginoſi, & cavi erant, & convulſiones tenebant, quæ ab inteſtinis profectæ ad ventriculum tendebant; aderat ſingultus*. Cujus rei cauſam reiiciens in bilem Fernelius (*b*) veneni naturam a bile indui opinabatur, cum circa viſcera infimi ventris uberius aggeſta præverti, ac tumultuari incipiat, atque huc illuc impelli, ac defluere, ut ea perculſi toxicum ſe bibiſſe putent. Non paucos vidiſſe ſe ait Vincentius (*c*) Alſarius Crucius, qui alias ſaniſſimi ſtatim a prandio, vel cœna in acutiſſimos, & læthales morbos inciderunt cum iiſdem notis, & accidentibus, quæ a venenis hauſtis inferuntur: ut propterea Medicos jure monitos velit Ardoinus (*d*), ne in controverſia de veneno cuipiam exhibito feſtinanter, ac temere pronuntient, ex impetu ſententiam ferentes; cum ſæpenumero humores in corpore corruptione virulenti fiant, qui ſigna, & effectus non aliter, quam venena eſui, vel potui data ſortiuntur.

Maxime optandum fuiſſet, ut hac moderatione animi ad quæſtionem veneficii conveniſſent rogati Medici. In proferendo judicio maturiores, credo, mitioreſque fuiſſent. Scirem enim libenter ex iis, qua ratione ſibi perſuaſerint clandeſtino veneno affectam fuiſſe mulierem, non tacite in viſceribus a natura genito? quo vero ſigno, non ficto ſuppoſitum venenum comparaverint cum arſenico, & voraci ſublimato? qua fiducia præſumpſerint ægram plane mori-

(*a*) Hipp. 5. Epidem.
(*b*) Fernel. lib. 6. de part. morb.
(*c*) Crucius de Quæſit. per Epiſt. centuria tertia.
(*d*) Ardoin. lib. 1. de venen. cap. 4.

morituram, quam remediorum beneficio ſervatam voluerunt? Dicent mulierem ad prandium veniſſe tranquilla ſanitate: mox fatigari cœptam eſſe crudeli vomitu, alvi fluxu, doloribus acerbiſſimis, debilitari, frangi, deficere, exardeſcere. His ſignis dignoſci teterrimum veneni genus, diſcernique inſidioſe datum ab ingenito, quod nec tanto impetu irrumpit, nec puncto temporis, nec tam conferto ſymptomatum comitatu, quæ tam dira fuere, ut ſatis oſtenderint miſeram ægrotantem ſublatam iri, ſecluſo, vel dilato medicamentorum auxilio.

Ut iis reſpondeam ad ſingula, quæſo ecquid eſt tantum virus, tam profligatum, tam præceps, tantoque malorum agmine circumſeptum, quod in cholera morbo non ſit? Ita enim inopinatus, importunus, omnique apparatu funeſtus ille eſt caſus, quem paulo ante ſecundum Hippocratem poſui, *ut magnum quoddam exemplum ſit venenorum, quæ in noſtris corporibus gigni ſolent*, ut loquitur Valeſius in Commentario, affinitate cum iis, quæ extrinſecus aſſumuntur, conjunctiſſimum. Cujus etiam perſimile, & pene par eſt illud, quod ipſe Hippocrates (*a*) tradit in perſona phrenetici, *cui prima decubitus die vomitus multus, tenuis, æruginoſus, ſudor circa caput, collum, gravitas cum dolore, ab alvo confeſtim ſtercora exibant, nil dormiebat, multa delirabat. Secunda die ſine voce, ſudabat, palpitationem per totum corpus circa noctem, deinde convulſiones. Tertia mortuus eſt.* Permire id etiam videndum dedit in hiſtoria Critonis (*b*), *cui in Thaſo erecte ambulanti pedis dolor cœpit: decubuit eadem die horreſcens faſtidioſus, parum ſubcaleſcens: in nocte deliravit. Secunda die tumor per totum pedem ſubrubens, & puſtulæ nigræ, febris acuta: a ventre mere bilioſa effluxerunt. Mortuus eſt a principio ſecundæ diei.* Adeo relucent in Critonis morbo exitialiſſimi veneni mores, ut exiſtimari potuerit ex accepto, non innato veneno Critonem quamcelerrime ægrotaſſe, & periiſſe. Quod optime annotavit Valeſius dicens: *hic certe homo a multis putatus ſit venenum accepiſſe: tamen ſcimus ſolere multos vene-*

(*a*) Hipp. 3. Epid. Sect. 3. Ægrot. 4.

(*b*) Hipp. 1. Epid. Sect. 3. Ægrot. 9.

venenum intra ſe ſe ex pravo victu generare, & repente mori, non aliter ac qui acceperint (*a*). Siquid eſt autem in his rebus, quod fuco, & fallaciis anſam præbere poſſit, ſunt quidem gangrænæ, & ſphaceli improviſo orti ſine manifeſta cauſa, quorum incurſus non raro tam repentinus eſt, exitus tam celer, ut conſilio, non caſu, ſive natura potius eveniſſe videantur. Juvenis ille (ut taceam multorum exempla) modo pro omnibus ſit, cujus mentionem facit Gaſpar a Rejes (*b*): ei ſcilicet, cum ex levi plaga, quam vigente æſtate in ventre acceperat, convaluiſſet, extemplo, nullo præeunte tumoris, nullo inflammationis indicio, nigreſcere digitum majorem dextri pedis circa unguem cœpiſſe matutino tempore: gangrænam ad talum aſcendiſſe veſperi: ad ſuram nocte ineunte: ſupra genu matutinis horis ſequentis diei, incredibili celeritate: cumque ſumma debilitas virium, pulſus tremulus, ſyncope, convulſio totam diem juvenem tenuiſſet, mortuum eſſe.

Si ergo venenorum vires in affectus conſimiles corpus redigunt, ut cum Dioſcoride loquar (*c*), promiſcue vero cum morborum viribus, qui corporibus innaſcuntur, venena conſentiunt, quomodo proſpicere in Agathæ morbum tam firmis oculis potuerunt Medici illi, ut ad arſenicum, aut ſublimatum vorax intrepide revocarent abſtruſum morbi genus, quod a fœniculo viridi, ab oleribus, a cibis, aliiſque latentibus cauſis ad agendum proxime expeditis potuit proficiſci? Id accepiſſe ex rumoribus vulgi, ut opinor, non dicent, ne id leviſſime rumori credidiſſe fateantur, de quo ipſos graviſſime fidem facere oportebat. Jam non repeto quam ambigue de arſenico loquutus venditor, quam ignarus venditæ mercis emptor fuerit. Abunde huic quæſtioni in ſuperioribus ſatisfactum puto. Quæro equidem, quoniam de ore Medicorum exiluit *arſenici* vox una cum *ſublimati corroſivi* nomine, undenam illi utriuſvis argumenta deduxerint? Reſpondebunt, ni fallor, ex conjectura. Eſto. Sed peto illud primum, quanti æſtiment

(*a*) Valeſ. in Comment. Camp. quæſt. 64.
(*b*) Gaſpar a Rejes jucund. Quæſt.
(*c*) Dioſcorid. lib. 6. in Præfat.

ment vitam hominis propter appictum nefarium ſcelus in ſummo periculo conſtituti? Adeone parvi, ut verſatilis, & tenebricoſæ opinionis ludibrio, & fortunæ committendam putent? In capitis cauſis, & contentionibus, ubi crimen obſcuritate tegitur, ſi non e tenebris veritas extrahatur ſic, ut in clariſſima luce collocetur, accuſatio muta ſit; propterea quod nefas eſt judicio, non re, ſed conjectura ducto, exitii cauſam accuſato quærere: jam enim fixum legibus, & ſtatutum eſt, rectius nocentem abſolvi, quam innocentem condemnari.

Deinde longe facilius eſſe non dubito veneni impetum moderari, quam ſignum unicuique veneno proprium conſtituere. Id ſi ab Medicis iis requiro, duo veneni genera nomine appellari intelligo, *arſenicum*, *& ſublimatum corroſivum*: ſigna diſtincta, per quæ iſtud ab illo, utraque ab ingenitis venenis mihi ſegregent, non reperio. At erat illorum officii, & gravitatis, res a verbis ſejungere; utro vis facta fuerit arſenico an ſublimato docere perſpicue, non ambigue poſito verbo dubium relinquere. Nego, non cognita re, arſenicum verbo, nego ſublimatum comprehendi poſſe. Nimirum intereſt inter mineram, quam cobaltum nominant, & flores arſenici, qui ex minera actione ignis in ſublime vecti, atque in cryſtallos coacti arſenicum album cryſtallinum dictum conſtituunt. Eſt unum hoc ſublimati genus valde importunum, & ferox. Ex cryſtallis adjectione ſalis decrepitati elaboratur a chimicis aliud genus refractæ indolis, & virtutis emeticæ, quod ſublimatum arſenici (*a*) dulce vocitatur. Audito etiam ſublimati nomine menti occurrere ſolet mercurius ſublimatus, aliud teterrimi veneni genus, ipſoque arſenico fero crudelius. Quodnam igitur ex his materiam veneficio contendunt? mineramne? an flores? an ſublimatum ex arſenico dulce? an ex mercurio ſumme mordax, & ſcepticum? Non licet hic ſortitione uti; nec ſufficit genera nominare. Niſi id, quod uſum habuiſſe malunt, ſeparatim nominent; niſi ubi veſtigia impreſſerit, palam faciant; niſi ita adhi-

(*a*) Lemery. Corſo di Chimica.

adhibitum fuiſſe doceant, ut vitæ, vel corpori ruinam afferre potuerit, rem dubiam non diſſolvunt, ſed laqueis verborum potius impediunt. Veſtigia arſenici, vel mercurii, ſincera quidem, nullibi reperta ſunt. Faucium adſtrictio, vomitus, diarrhæa, & cætera id genus, non tam uni, quam venenis omnibus ſunt communia. Subviridia alvus reddidiſſe dicitur: qui color, ut herbarum vireſcentium proprius, ſic comeſis oleribus, & fœniculo magis, quam arſenico conſentaneus. Itaque ſi non verba ponderantur in judiciis, ſed eæ res, quarum cauſa verba in judicium conjiciuntur, latentibus rebus in obſcura caligine, non vincent profecto mulieris vitæ, vel corpori a mercurio, vel arſenico ſublimato vim factam fuiſſe. Quod ſi ita eſt, quomodo mulierem, oblati veneni cauſa, facile morituram affirmare potuerunt? Equidem tantum abſum ab ſententia iſta, ut vel eo admiſſo, de quo hactenus repugnavi, & repugno, contrarium ſentire non dubitem.

